





1551










Sum M. Urbani Leonis 1603.



SANITATIS STVdium ad imitationem aphorismorum compositum.

ITEM.

Alimentorum uires breuiter & ordine Alphabetico positæ.

Autore Paulo Kyr medico.

STVDIOSAE IVVENTVTI CO
ronen̄. Paulus Kyr. S. P. D.

VAletudinem bonam tueri CONDItoris proui dentia factum eſſe teſtantur uiri diuino ſpiritu prædıti, quemadmodum Moſes cibos ſuos diſcernens ac diuus Paulus Timotheo ſuo ad fulcendam ſtoma chi imbecillitatem, parum uini uſum præſcribens. Et mortalium genus omne hoc affirmare uidetur ex eo, quod naturæ inſtinctu ſummopere curat, ut ſit uictus ratio, & uitæ ſeruetur incolumitas. Priſci quoq; qui bonorum ordines digeſſēre, non ſine ratione primas tribuerunt bonæ ualetudini. Quid enim refert hominem eſſe diuitem, clarum, nobilem, eloquentem & uenuſtum, ſi proſpera corporis uale tudo perit, nonne pauper miſerq; eſt? Quare cum à Deo inſitum ſit tueri uitam & ſanitatem, et à me dicis clariſſimis ſanctisq; uiris ſemper obſeruatum fu erit, non conuenit, quenq; neſcire eam partem, ut eti am Galenus docet, quæ ad bonam ualetudinem tuen dam pertinet. Non autem uoluptatem, ſed neceſſitatē ſpectamus, uidelicet, ne corpus in morbos ac uitia delabatur, uitæq; functiones impediantur. Nam ali qui ægrotant, non ob proprium corporis ſtatum, ſed ꝓpter uitioſam uictus rationē, dum aut in deſidia ui tam agunt, aut nimium laborant, aut in aborū qua

ßitate quantitateue peccant, aut exercitium aliquod noxium exercent, aut in somni modo, aut ueneris immodico usu falluntur, aut etiam ægritudine animi curisq; parum necessarijs se macerant: unde nonnulli in morbum quempiam grauem incidunt, à quo tota uita se explicare nequeunt. Qui ergo uictus ratione uti uolunt, necesse est, ut res non naturales, & alimentorum uires agnoscant, & sese ad eas accommodare studeant, de quibus hic breuiter tractatum est. Verum ea ab egregijs autoribus magisq; Galeno selegimus. Si quid autem prætermissum, uel minus absolutum uidebitur, id ex aliorum emolumentis hauriendum erit. Sed cum puto æquum esse, ut quisq; pro suo captu et eruditione suis alios iuuet, studiosæ iuuentuti Coronen. prodesse studui, quod si consequutus sum, ut spero, non pœnitebit me laboris. Pergite igitur studiosissimi iuuenes, ueterem recipere diætam, et ad euitandos morbos salubria præcepta excerpite, quo mens sana sit in corpore sano.

1 5 5 1.



DE REBVS NON NATVRALIBVS.

QVemadmodum corpus nostrum per iustum usum rerum non naturalium commodius fouetur, & incolume conseruatur: ita si sinistre & inordinate adhibentur, destruitur.

Res non naturales sunt numero sex, ut aër, cibus & potus, motus & quies, somnus & uigilia, inanitio & repletio, ac animi affectus.

Videndum autem ut quisq; secundum sui corporis constitutionem his recte utatur, uel ea natura exhibente, uel arte & industria parante, ut sanitatem conseruet potius quam perdat, ac primum quidem uidendum est de aëre.

DE AERE. I.

AER optimus saluberrimusq; est, qui purus existit, cuiusmodi est, qui nec stagni, nec paludis halitu infectus est, nec ex profundo specu pestilentem auram spirat, nec qui ex cloacis uitium contraxit, nec qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur, nec qui ob stagnũ aut flumen uicinum nebulosus est.

Aër æditis montibus in ualle inclusus, qui nullum perflatum recipit, suffocans putrisq; est, similis ei q

in domibus quibusdam est inclusus, in quibus ob putredinem, et perflatus defectum plurimus acervatur squalor ac situs.

Vt temperatis corporibus temperatus aër saluberrimus est: ita intemperatis quidẽ is in quo contrariæ qualitates exuperant, optimus erit: uerbi gratia, frigidis calidus: calidis frigidus, humidis siccus: siccioribus humidus. Quum aërem contraria qualitate præditum habere non liceat, arte paretur.

Aër calidior et siccior emendatur, si humidiores & frigidiores domos præparabimus, pauimenta earum aßidue aspergentes aqua rosacea, uel aqua pura tantum cum aceto: uel cum flabello facto uentulo, tum ut ex Euripo aliquo aura inspiret machinantes. Præterea sternere locum frondibus salicis, uitis: floribus frigidis, ut uiolarum, rosarum: fructibusq; ut pomis citrinis, aurantijs, limonijs mirè competit: & ab ignis solisq; calore prohibere expedit. Præstat etiam locum à paucißimis adiri: incredibiliter enim multitudo aërem inficit.

Aër frigidior et humidior corrigitur ex ligno quærneo, pini, iuniperi, causa euaporationis odoriferæ, quæ ex istorum exustione eleuatur. Amplius id præstant suffumigationes ladani, thuris, moschi, Xyloaloes, sandaracæ, styracis, sauinæ, & similium eandem uirtutem habentium.

Aër siccior emendatur per decoctiones rerum humidarum, ut sunt arborum frondes, herbæ frigidæ & humidæ, aliaq; huius ordinis finitima.

DE CIBO ET POTV II.

Bonus cibus est, qui bonum succum procreat: qui secus habet, malus censetur. Alij magis frigidum pituitosumq; succum congerunt, alij magis calidum ac biliosum, nonnulli magis aquosum, alij rursus magis melancholicum: horum ergo cuiq; abstinendum ab ijs cibis potionibusq;, qui eum, quem colligunt succum, facile gignant.

Qui particulatim huius uel alterius naturæ absint, infra de alimentorum uiribus inscripsimus.

Ferculorum numerus non facile binarium excedat: post hoc in comedendo tempus prolongare non licet.

Consuetudo in cibi assumptione, & in uniuersa uictus ratione seruanda est: nam insueta molestare solent.

Si urgente necessitate, ad insueta transeundum erit, tum non subito sed paulatim fiat: repentinæ enim mutationes, ut ait Hippocrates, uitandæ sunt.

Concoctu facilia, ijs qui difficulter concoquuntur, præmittantur, et humida siccis, et lubricantia adstringentibus antecedant.

Cauendum ne sani sumant cibum, nisi antea mo

ciæ fuerint exercitati, uel hesternus cibus descenderit.

Consueta hora ac appetitu prius allicienti prande ant ac cœnent: nec cum hic postulat cibus est differendus: omnis enim mora illi nociua est.

Ventres hyeme calidißimæ sunt naturæ, in his ergo temporibus est multus cibus simul sumendus, sed minus bibere conuenit.

In æstate est comedendum sæpe bis uel ter in die, pro uice tamen parum, et de cibis subtilibus ac digestibilibus, quia tunc calor naturalis est debilis, et solutio plurima: sed corpus potione multa eget.

In Autumno aliquantulum plus pro uice, de cibo est sumendum, meraciusq; bibendum.

Cibo ac potu quocunq; etiam tempore expleri, onerosum est: quanq̃ omnino potu quam cibo repleri minus nociuum est.

Semper curandum est, ne penitus desiderium sopiatur, sed remaneat aliquis appetitus, iuxta illud, Sic pota ut sitias, sic ede ut esurias.

Inter prandendum aut sæpe et parum bibendum, aut bis terue largius pocandum.

In tempore conandum, ut cibum æstate sumamus horis diei magis frigidis arte uel natura: in Hyeme contrario modo: in Vere & Autumno medio modo.

Oportet queq; instituere uictum, qui ætati & exercitiorum generi accommodus sit: siquidem senes fa

cillime

facillime ferunt ieiunium & famem, deinde adolescentes, minime autem pueri, præsertim alacriores, deinde fortius exercitij genus tractantes, fortioris omnia crassiorisq; cibi & multiplicis exhibiti indigent administratione.

DE MOTV ET QVIETE. III.

EXercitium commode administratum, ad sanitatem tuendam multas utilitates affert: nam calorem augmentat, cuius beneficio membra solida mollescere, humida tenuari meatusq; laxiores fieri accidit: & ob spiritus ualentiorem motum meatus expurgare, excrementaq; expellere necesse est. Sanitatis studium ad labores impigrum esse scribit Hipp.

Exercitium minime conuenit corporibus non mundis, hoc est, abundantibus humoribus malis, aut crudis incoctisq;, aut cibis multis, quæ uel in uentre, uel in uasis continentur: periculum enim est, ne priusquam per naturam concoctiones utiles fiant, in omnes animales partes rapiantur, unde corpori ingens nocumentum inferatur.

Ante omnem cibum & post euacuationem superfluitatum maxime quæ in intestinis & uesica continentur, fiant exercitia: caput enim repletur inde uaporibus, unde non leue incomodum accidit, & in Epate aut ponderis sensus, aut distentionis, aut utrisq;

percipitur.

Conueniens est uerno tempore exercere iuxta meridiem, loco saltem tẽperato: in æstate ante meridiem, uitato meridiano æstu: in hyeme post meridiem loco tamen prius ignis beneficio tepefacto, ne quid noceat frigus: amplius æstate subtilius, hyeme craßius exercitij genus conuenit.

Exercitationi mensura est adhibenda, tantisperq; exercendum, dum & corpus intumuit, & color ille floridus apparet, sudorq́; cum calido uapore mixtus cernitur: tunc ergo inhibenda cum aliquid horum fuerit mutatum.

Si ultra exercitando pergamus, etiam boni succi nonnihil educetur, atq; ita tum gracilius corpus fiet, tum aridius, atq; ad incrementum minus habile.

Exercitij genus quoq; est gestatio nauicularum, lecticarum ac curruum. Sub gestatione comprehenditur equitatio & uectatio.

Equitacionẽ mirifice intestina cõfirmare tradit Cornelius Celsus: et coxendicibus utile esse scribit Plinius.

Si contingat proficiscã pedes uel eques totam diem, hospitatus non ilico cibum uel potum capiat, nisi postquam quieuerit, & calor ad interiora redierit, tum cibum uel potum recipiat.

Si necessarium est ultro progredi, somnum breuem super cibum dormiat, antequam iter arripiat.

ne cibus concussus in stomacho corrumpatur: Nam optima digestio fit somno & quiete, dicente Galeno.

Sunt & alia exercitij genera, ut cantatio, luctatio, saltus, cursus, pilæ ludus, iactus & huiusmodi multa, qualia Galenus commemorat.

Motus siue exercitium cibum præcedere utile est: à cibo conuenit uel quiescere sedendo, uel erigi stando, uel moueri paulatim, uel breui tempore deambulare, ut motus non sufficiat ad cibi conquassationem, sed eius in fundo locationem.

Qui legendo et scribendo se exercent, non prope rè à mensa intendere, sed duabus aut tribus horis inde uacare debent: & à cœna lucubrantes, horam unam minime excedere expedit, ne cerebro oculisq; nocumentum inferatur.

Frictio est loco exercitij, cui sex sunt differentiæ: dura corpus cogit: mollis laxat aut soluit: multa extenuat, minuit, euaporat ac macrum reddit: aspera sanguinem attrahit ad exteriora: lenis retinet in membro: mediocris augendi uim obtinet, unde carnem auget, uitale robur excitat, modice calefacit, & efficit, ut distributio nutrimenti sit facilior, & nutritio nutrimenti promptior.

Qui carnis augendæ causa fricantur, tunc plane finienda est frictio, cũ corpus et intumuit, & ad summum fere tumorem peruenit.

Ocium & quies ubi immodica fuerint, & non suo adhibita tempore, maximo detrimento existunt: cruditates enim pariunt, & uitiosorum humorum in corpore copiam procreant.

Quiete tum utendum, quum ex multa motione corpus defatigatum fuerit.

DE SOMNO ET VIGILIA IIII.

Somnus nihil aliud est, quam animalium facultatum quies. Somnus si recte adhibeatur, multa adfert commoda: nam cibos confiat, humores concoquit, animi ægritudines obliuione delet, mentis insaniam corrigit.

Somnus longior conuenit illis, qui perfectam concoctionem nondum fecerunt, siue istud contingat ex usu mali cibi, siue uirtutis alteratricis debilitate.

Non conuenit ieiunis, et famem tollerantibus: repletur enim inde caput fumis ac euaporationibus eleuatis à fecibus ac superfluitatibus retentis in stomacho.

Consentiunt medici somni iustam longitudinem esse tempus septem horarum noctu: nam in die dormire nemo ex antiquis probauit, et mala ex hoc enumerat Auicenna ferè hæc, destillationes à capite, corruptionem coloris, aggrauationem splenis, laxitatem neruorum, desidiam ad res agendas, prostratum appetitum, apostematum generationem, febres &

quædam alia.

Tempore moderno non omnis somnus est uitupe randus, præcipue si in eo quinq; conditiones obseruentur, Prima ut sit consuetus: Secunda ut non ilico super cibum: Tertia ut non sit capite depresso: Quarta ut non sit longus: Quinta ut non fiat repentina expergefactio.

Forma decubitus debet esse supra latus dextrum primum, deinde supra sinistrum, quo cibus primum bene ad stomachum descendat, deinde supraiectione Epatis concoctio adiuuetur.

Supra uentrem dormire commodum est concoctioni, retinetur enim sic et augetur quoq; calor innatus.

Supinus decubitus occasio est grauissimorum morborum, apoplexiæ, paralysis & incubi: propterea scribit Hippocr. bonum esse ægrum inuenire iacentem in latere dextro, aut sinistro, & penitus supinum decubitum damnans.

In omni somno conuenit, ut fiat in loco non calido, nec uaporoso, sed temperato, uel parum frigido.

Somnus prolixus & immodicus infrigidat & humectat, ac præter alia incommoda hoc affert, quod ne excrementa suo tempore expellantur, sed ut in corpore detineantur, efficiat.

Vigiliæ si modum excesserint, cerebri bonam temperaturam corrumpunt, sensus debilitant, uirtutem

deijciunt, cruditatemq́; efficiunt.

Danda est opera, ut neq; somnus, neq; uigilia modum excedat: Nam dicente Hippocr. si modum excesserint, malum est.

Vigiliæ extrinsecus calefaciunt, intrinsecus infrigidant & exiccant, et sæpe sunt causa ægritudinum acutarum, aliquando phrenitidis, maniæ ac melancholiæ, quæ sunt species delijrij.

DE INANITIONE E REPLETIONE. V.

VEnæ sectio mirificè prodest, ubi est plenitudo uel sanguinis, uel humoris, uel cibi potusq́;, ac initio inflammationis, quæ aut propter cibum, aut propter dolorem, aut partium debilitatem prouenit.

Pueris usq; ad decimum quartum annum haud detrahendus, nec senibus post septuagesimū: nisi in hac ætate constituti multi sanguinis fuerit, uiresq; robustas habuerit, ut si necessitas iubeat, ijs etiam uenam secabis.

Virium robur obseruare expedit: si enim ualidum fuerit, & mittendi sanguinis necessitas incubuerit, audacter sanguinem extrahat: sin minus, uel nihil, uel parum sanguinis auferendum.

Vbi multa euacuatione opus est, uerum sunt imbecilliores, quam ut eandem ferre possint, tum Ga

leno teste, euacuationem partiri præstat.

Quibus amplæ sunt uenæ, quiq; non nimium gracciles sunt, nec candidi, neq; tenera carne præditi, eos copiosius euacuabimus: contrarios uero, qui parum sanguinis habent, carnemq; facile transpirabilem, parcius.

Regio si impense calida uel frigida fuerit, largam euacuationem haud sustinet.

Tempus æstiuum & hybernum uenæ secandæ minime idonea erunt: sed quibus à uenis sanguinem mittere confert, docente Hippocrate, ijs uere secare uenam oportet.

Tempus in quo fit uenæ sectio conuenit matutinum: quibusdam etiam posteaquam rerum solitarum quippiam obierint, sanguinē auferre expedit.

Aegris nullum est uenæ sectionis præscriptum tempus: quamobrem nec per noctem sanguinem mittere ijs, si sic expetat morbus, uerearis.

Vita etiam antecacta uenæ sectione expetenda, an scilicet cibi potusq; copia, & præcipue affatim nutrientium usus fuerit, tum enim audacter sanguis extrahendus: sin minus, contra.

Si præter consuetudinem, uel hæmorrhoides, uel menses retenti fuerint, tum saguinem mittere expedit.

Quibus præter solitum exercitia neglecta, aut ex

crettiones suppressæ fuerint, uenæ sectio haud teme re adhibeatur.

Quum tres sint in cubito uenæ, ex quibus sanguis mittitur, sciendum quod interior, quam iecorariam, ac lienarem, axillaremq;, hodie uero basiliam uo cant, ijs secanda erit, quibus partes collo inferiores patiuntur: exterior uero, quam humeralem & ce phaliam nominant, ijs incidenda uenit, quibus par tes supra ceruicem, uerbi gratia facies aut caput labo rant: media, quam alio nomine communem, nigram, matrem, & medianam nuncupant, tunc secanda erit, ubi uena parti patienti propria obscurior fu erit.

Deniq; duplex est uenæ sectio, una secundum rec tum, aut è directo fit: altera quæ in opposito fit, sed hæc longiorem desiderant explicationem, quam ut hoc in loco commode inseri poßit.

Animaduertendum ut tanto citius sanguis restringa tur, quanto melior exierit: & contra, tanto diutius ut effluat, permittendum, quanto peior fuerit.

Vbi incisa uena sanguis emanat, ad mutationem eius ac pulsum animum diligenter attendere opor tet, idq; in sanis & ægris,

Alterum euacuationis genus, est uentris deiectio, huius usus erit, ubi corpus uitiosis humoribus refer tum fuerit,

Sanis,

Sanis, qui uitiosorum humorum abundantia mini me præmuntur, medicamēta purgantia non sunt propinanda.

Quibus purgandi medicamenti opus erit, ij primū curabunt, ut ad purgationem idonei sint: id quod balneis & cibis humectantibus, corpusq; laxius ac mollius reddentibus fieri potest.

Si craßi ac glutinosi fuerint humores molestantes necessariū erit, ut incidantur extenuenturq; : sic enim ad expulsionem paratiores erunt, id quod Hippoc. uoluit dicens, Corpora cum quispiam purgare uoluerit, oportet fluida facere: fluida enim erunt corpora omnibus reseratis meatibus, & humoribus craßis et glutinosis in corpore incisis absterſis et extenuatis.

Vbi humores craßi ac lenti fuerint, decoctis et syrupis in hoc paratis incidendi et extenuandi, atq; adeo, ut facile euacuentur, præparandi erunt.

Humores tenues, uelut flaua bilis, cum uacuatu faciles sint ac mobiles, haud indigent præparatione.

Contrarijs alterare oportet: craßum quidem & uiscidum attenuando, tenue autem incraßando, ut in naturalem statum redire ualeant: eosq; humores educere oportet, qui corpus molestant.

Crudi humores, si in aliqua parte firmati sunt, mouendi non sunt, sed expectanda concoctio, iuxta Hippoc. Concocta medicari, & mouere non cruda

oportet: neq; in principijs. modo non turgeant, plurima uero non turgent.

Si in uehementiori motu fuerint humores, et ab alia parte ad aliam tendunt, concoctio expectanda non erit, sed potius medicamenta purgantia mollienda euacuatio, priusquam corporis robur dissoluatur, aut calor febris augeatur, aut ad aliquam partem principatum obtinentem humores decumbant.

Cum biliosi humores magna ex parte acutos pariant morbos, atq; turgeant, raro in ijs expectamus concoctionem, sed statim, nisi aliud obstat, uacuamus.

Si humores tenues in aliqua parte firmati fuerint, coctionem exigunt, quatenus alterati, edomiti ac naturæ obsequentes redditi absq; molestia multa ad conuenientia loca mittuntur, aut trahuntur. Hæc uerbosius explicauimus.

Sub cane et ante canem difficiles sunt medicationes.

Accommodißimum uero tempus ad purgationes uernum esse solet.

In hyeme in homine pituita augescit, uere sanguis, æstate flaua, autumno atra bilis: itaq; in hyeme, quæ pituitam ducunt, æstate, quæ bilem, magis sunt medicamenta exhibenda.

In regione calida, calidi humores exuperant, in frigida frigidi.

Regio supra modum calida uel frigida purgatio

nes impedit: Similiter tempus calidißimum & frigidißimum.

Pueri purgationibus inepti existunt: si uero eorum aluus adstricta fuerit, mel cibo adijciendum, aut terebenthina quæ ciceris quantitatem æquet exhibenda, aut suppositorijs utendum ex melle & pauco sale.

Senes pari ratione, qui uiribus destituti sunt, purgantibus medicamentis minime exagitandi sunt.

Vehementes purgationes fugiendæ ac execrandæ erunt: nam uires supra modum deijciunt, & stomacho mirifice obsunt.

Tertium genus euacuationis est uomitus, unde sæpe sequitur commodum.

Qui frequenter uomunt, magna ex parte semper sani sunt: nec enim bilem duntaxat, sed etiam pituitam uomitus educit, ac ne malis humoribus uentriculus impleatur efficit, unde caput non parum subleuatur.

Vomitus utilis præsertim plenis & biliosis omnibus existit, si uel nimium se replerunt, uel parum concoxerunt: nam si plus ingestum est, quam quod concoqui poßit, periculum est ne corrumpatur: proinde nihil commodius est, nisi ut antequam corrumpatur, qua uia expelli poßit, eijciatur.

Qui singulis mensibus uomere consueuit, continuo

biduo hoc agere consultius est, quam interpositis quindecim diebus: ita enim secundus dies prioris reliquias extrudit.

Cauendum tamen erit ne is, qui ualere & senescere uolet, ut uomat, quotidianum habeat, nam eius frequentia assiduusq; usus surditatem inducit, uisui obest, thoracis pulmonisq; uenas disrumpit, nocet dentibus, & capitis doloribus, maxime si non à uentriculo oriantur.

Difficulter uomentes ad uomitionem non sunt cogendi, sed per inferiora potius purgandi.

Difficiles & inepti ad uomendum sunt mediocriter crassi ac pingues, angustumq; thoracem habentes.

Faciles & idonei ad uomendum sunt, qui tenues graciles ue sunt, & amplum obtinent thoracem, quae Hippocr. exprimere uoluit dicens.

Graciles & facile uomentes purgare superius conuenit: uomentes uero difficulter & mediocriter bene carnosos per inferiora.

Quartum genus quo euacuatio perficitur, est cucurbitula, quam barbari uentosam nominant.

Ventosa potest materiam euacuare, dolorem soluere, phlegmonem minuere, inflationem discutere, animi deliquio liberare, ex alto fluxiones transferre, sanguinis corruptiones cohibere, facultates mensium corruptrices extrahere, mensesq; supprimere.

Cucurbitula sicca hypporhandrijs affixa, fluxum sanguinis: è naribus retineri ac constringi docet Galenus: si ex dextra nare, insigenda super hepate, sin ex sinistra, super liene.

Cucurbitulæ cum scarificatione prosunt oculis diutina fluxione laborantibus, tum capitis paßionibus, quiq; thoraci dorsoq; eueniunt reparandam sanitatem præsidium efficacißimum est.

Hirudines sub scarificatione, quibus pro cucurbitulis utimur, complecti debent, quæ hic de industria silentio transimus.

Sextum genus euacuationum balneum existit, & in uniuersum omnium uis est exiccandi.

Salsa & nitrosa ad frigidas & humidas intemperies conferunt: præterea medetur articulorum doloribus, podagræ resolutioni, renum paßionibus, asthmaticis, fracturis, callosa substantia indigentibus, ulceribus manantibus, inflammationibus diuturnis, item capitis thoracisq; fluxionibus obnoxio, uentriculo humore infestato, hydropicis, œdematibus, morbo protumentibus & pituitosis.

Aluminosa ad sanguinis retentiones, uentriculum uomiturum, hæmorrhoidas immodice fluentes, mulieres quæ inordinate purgantur, & quæ frequenter abortiunt: ad eos deniq; qui immodico sudore resoluuntur, & ad tibiarum uarices prosunt.

Sulphurea neruos emolliunt calefaciuntq;, dolores sedant, uentriculum tamen effœminant, & subuertunt, omnia cutis uitia exterunt, quapropter alphis, leucis, impetiginibus, ulceribus antiquis, articulorum fluxui, lieni indurato, iecori, utero, resolutionibus, coxendicibus, & scabiei conueniunt.

Bituminosa caput replent, sensuum instrumenta lædunt, enixe tamen calefaciunt, & prolixe molliunt, si quis diutius immoretur, præsertim uterum & uesicam.

Aerea, oculis, ori, tonsillis & uuæ conueniunt.

Ferrea uentriculo & lieni accommodata sunt.

Cuprea articulorum doloribus molestatis, podagricis, asthmaticis, nephreticis, ulcerbus malignis auxiliatur.

Aurea cœliacis doloribus, uolulo, fistulis, podagræ, ac malignis ulceribus succurrunt.

Quæ ex mixtis qualitatibus constant, pro cuiusq; uincentis qualitatis ratione agunt.

Aëreum balneum potest materias per totum corpus calefacere: præterea quæ inæqualia sunt, æquare, & cutim laxare, & multa quæ detenta sub hac fuerunt, uacuare, ut merito sane exercitij interdum neglecti uicem supplere queat.

Calidum aquæ dulcis solium, si media temperie sit, calefacit & humectat: sin tepidum sit, humectat

& infrigidat: si iusto calidius fiat, calefacit quidem; sed non perinde humectat. Quod moderate calidum fuerit, potest madorem utilem solidis partibus immitte re, fatigationem et laßitudinem soluere, discutere ple nitudinem, mitigare, per halitum digerere, duras ten sasq; partes emollire, excrementum putrens, quod si intus ad cutem hæret, euacuare, flatus diffundere, somnumq; allicere.

Tepidum balneum febribus exiccantibus & uehe mentibus exustionibus confert.

Calidum deniq; solium commodißimum est pue ris, senibus, uiro, mulieri.

Frigidum totum corpus refrigerat, cutem densat; & uires firmat: hinc est quod non omnibus conueni at, sed ijs, qui exactius uiuunt, laboribusq; & cibis commodißime utuntur: præterea nec senibus, ne q; mulieribus competit, potißimum si diutius in eo morentur.

Iuuenibus solis et carnosis, æstiuo tempore frigida natatione uti utile est.

Septimum genus, quo corpus nostrum euacuamus est sudor, cuius prouocatio utilis est, cum humor ali quis noxius circa corporis interiora uersatur, & in febribus præsertim pestilentialibus contingit.

Sudor elicitur uarijs modis, nempe sicco calore ig nitorum & feruentium lapillorum, fomento calorifi

ço, aqua calida & similibus.

Octauum genus euacuationis exercitia et frictiones supplent, de quibus supra diximus.

Nonum genus quo corpus tam sanum quam ęgrum uacuamus est inedia seu abstinentia: hæc autem bifariam fit: Primum ubi nihil prorsus uel cibi uel potionis assumitur: deinde ubi non nisi quod oportet, & ad uirtutis conseruationem satis est.

Nihil est quod magis iuuet & sanos & ægros, quam tempestiua inedia & abstinentia.

Sani non facile in morbos incurrunt, si abstinentia commode usi fuerint, ut rectißimè Plinius dixerit, Multo utilißima esse in cibis temperantiam: & Hip. noster, Sanitatis studium esse non saciari cibis.

Laborantes morbo sic interdum iuuat abstinentia, ut ea morbus magna ex parte expugnetur.

Inedia non utendum, nisi in ijs, qui sunt ualentioribus uiribus, & crudis refecti sunt humoribus coctu difficilibus.

Quemadmodum inedia, si tempestiua, & quibus oportet, adhibita fuerit, mirifice confert: ita si intempestiua, & quibus non conuenit admota fuerit, uehementer incommodat: intempestiue adhibetur, ubi uirtus ipsa imbecillis est, & qui bilosi fuerint, & calore ad igneam naturam propensiorem habuerint, tamen febres accendit, succos biliosiores ac amarulentiores

ctores reddit, & cordis stomachiq; morsus, in quietu dinem, et omnia excrementa acerbiora maligniora q; efficit.

Decimum locum, eorum quæ corpus euacuant, somnus sibi uendicat, non quidem omnis, & quocun q; tempore factus, sed is duntaxat, qui famescente iam corpore, aut statim iamiam ab exercitio fit.

Calor natiuus per somnum interiora petens, non inueniens cibum, quem conficiat, utilem solidarum partium humiditate absumit, & corpus necessario exiccat, & extenuat, id quod Hippocr. testatur, di cens, Somni ieiunum extenuant, carnem liquefaci unt, & corpus imbecillam reddunt.

Saturum excalefacientes humectant, & alimentum in uniuersum corpus diffundunt.

Somnus post matutinas deambulationes factus, om nium maxime siccat: idem efficit somnus à balneo ad hibitus.

Somnus immodice euacuatos siue id fiat medicamen tis, siue exercitijs, siue balneis, exiccat atq; extenuat.

Vndecimum quo perficitur euacuatio, est urinæ prouocatio, cuius tum præcipuus usus est, cum obstru ctio, uel humorum abundantia circa iecur, eius potis simum gibba, renes & uesicam fuerit.

Circa urinæ prouocationem cauendum ne si aposte ma aut ulceratio circa renes aut uesicam fuerint, uri

nam moueamus, quod tum potißimum à paciente particula auellere, nequaquam trahere ad eam conueniat: nec si mulieri in utero aut pudendo insedit, menses huic mouebis.

Duodecimo, quo euacuatio fit sputum existit, cuius usus est, cum thorax & alia instrumenta respirationi seruientia expurgant: quapropter ubi sputum fuerit secundum naturam, integram sanitatem instrumentorum, quibus spiratio perficitur, significat.

Si sputum aliqua ratione impediatur, et à naturali recesserit habitu, tantum ea læsa esse demonstrat, quantum formam naturalem amiserit.

Quæ medico circa sputi eductionem consideranda sunt docet Galenus in libro de Cris:

Decima tertia perficitur euacuatio per medicamenta quæ in ore retinent, & commanducantur, apophlegmatismus, Græci uocant à pituita, quam ex capite trahunt.

Sub ijs comprehenduntur sternutamenta dentia & alia medicamenta, quæ cerebrum per nares euacuant.

Decimum quartum euacuationis genus est, profluuium sanguinis è naribus, quod præcipue cerebri obstructionibus, & à capite destillationibus confert, multosq; alios morbos indicat.

Interdum ubi parū effluxerit, statim per medicamen

tu cohibendū erit: nonunquā non sine magno incōmo do cōstringitur, etsi ob multitudinē uitiosi sanguinis accidat. Sed uberiorē explanationem à medicis petes.

Quindecimum genus corpus euacuans, mensium exist it profluuium, quod statis temporibus mulieribus euenit, ut eo uniuersum corpus expurgetur, atq; sa nitas tueatur.

Si extra conceptionem menses suppreßi fuerint, bonam corporis ualetudinem plane destruunt, pro inde atq; plus iusto promanauerint. Plura ad insti tutum sciêntia ex aliorum libris petenda erunt.

Decimum sextum uacuationis genus per hæmor rhoïdes perficitur: per naturam plerunq; magnam atræ bilis copiam educit, ideoq; permanentes, à mul tis grauißimis morbis tutos securosq; nos faciunt, ut testatur Hippoc: dicens, Hæmorrhoïdes habentes, ne q; laterum dolore, neq; pulmonis inflammatione, neq; depascente ulcere, neq; furunculis neq; terminthis, neq; lepra, neq; uitiliginibus corripiuntur: & in aphoris. Atra bilis uexatis, & renum paßionibus, hæmorrhoides superuenientes, bonum: & iterum, Insanientibus si hæmorrhoides superuenerint, insa niæ solutio fit: et à diurnis hæmorrhoidibus sanato, ni si una seruetur, periculum est, uel aquam inter cutem uel tabem succedere. Plura in alijs libris require.

Decimum septimum, quo corpus euacuetur, Venus

est, cuius usus etiam aliquis erit, si moderata fuerit: plenitudinem uacuat, corpus agile reddit, durum corporis habitum emendat, & à pituita expurgat.

Venus tristibus, melancholicis, & iracundis maximum præsidium est, quosdam à crebris rei Venereæ per somnum imaginationibus liberat.

Venus sicut plurima habet in se commoda, ita contra multorum morborum autor est ijs, qui eo immodice utuntur. nam aßiduus usus oculis nocet, & omnibus sensorijs, capiti, neruis, thoraci, renibus, lumbis, & coxendicibus, senectutem quoq; ac mortem accelerat: siquidem uniuersum robur deterius reddit, ita ut non temere Pythagoras utendum esse responderit, cum quis infirmior fieri uelit, unde sano magno mortalium bono olim adagio uulgato iactatum est, Tria saluberrima esse, uesci citra saturitatem, non refugere laborem, & naturæ semen conseruare.

Qui immodice utuntur Venere, obliuiosi sunt, tremuli, articulorum doloribus, et maxime coxendicum, & renum, uesicæq; uicijs laborant.

In Venerem congressuri uitare debent recentes faci etates, uel cruditates, ebrietatem, famem, fatigationem, uomitum, purgationem & similia, quæ corporis robur dissoluere possunt.

Decima octaua inanitionis species est, insensibilis perspiratio quæ naturæ quiescentis potentia fit.

HIs quoq; corpora nostra aut suauiter afficiuntur, aut moleste læduntur.

Gaudio subito allato animam expirasse refert Aristoteles, Valerius deniq; maximus, præ gaudio non nulli admodum pusillanimes mortui sunt.

Timore subitaneo nonnulli morte perierunt præsertim pusillanimes admodum.

Si autem timor & mœstitia longo tempore habentes perseuerent Hippoc. autore, ex eo atra bilis significatur.

Mœstitia, curæ, animi angor, & cogitationes præsertim grauiores non modicam uim corporibus faciunt: inducunt enim inquietudinem ac uigilias, unde sensuum lesio est, & totius corporis robur minuitur.

Terrore aliquibus animi deliquium ac morbum comitialem accidisse compertum habemus: sicut contra in quibusdam insaniæ speciebus perterreri ac expauescere prodest.

Pudore immenso nonnullos mortuos esse, Plinius author est.

Ira deniq;, cui quanta uis est, uel inde palam fit, quod quosdam ira concitatos, quasi attonitos, ac extra se positos uidemus, inde sunt aliquando grauißimi morbi apoplexia, paralysis, articulorum maxime,

ac totius corporis tremor.

In his igitur animi perturbationibus quære honesta solatia, utere amicis & conuiuijs non tristibus, tange chelin digitis, lude fidibus, canta dulcisonum melos, quo tristia corda reficiantur, animiq; habitus moderentur.

Hoc nunc reliquum est, ut de Alimentorum uiribus commemoremus.



ALIMENTORVM VIRES BREVIter congestæ & ordine alphabetico positæ.

CIRCA CIBORVM DIFFERENTIAM considerandum, quid utile aut noxium: ad coquendum facile aut difficile: mali succi esse aut boni: multi aut pauci esse alimenti: aluum ducere aut sistere: aut aliam uirtutem aut uitium obtinere.

Alimur quidem ab ijs quæ naturæ nostræ commoda sunt: quæ uero illi aduersantur, nos ad perniciem ducunt. Cibi nulla omnino ex parte damnandi, neq; tenues. neq; crassi: nam quæ crassos & glutinosos humores gignunt, si probè in uentriculo concoquantur bonumq; in iecinore sanguinem fecerint, maxima ad nutriendum efficacia sunt: & quæ difficulter concoquuntur, seu medicamentis adiuuantur, uelut zinzibere, pipere, uinoq;. At qui crassi succi sunt, corporis perspirationem difficilem reddunt, præcipue in iecore, renibusq; nonnullas obstructiones faciunt: propterea ab eorum usu continuo: & si boni succi habeantur, abstinendum. Qui mali succi seu tenues, seu crassos humores gignunt, penitus uitandi.

Quæ autem crassitiem, lentorem, austeritatem, dulcedinem, uiscositatem & pinguedinem habent, crassi succi sunt, ut quæ iecoris, lienisq; obstructiones faci-

Hunc librum tulit F. Vrbanus Christ: Lau secum ex seculo cum ueniret ad Conuentum Viennensem Ord: Præd: Anno 1604.

unt, tum inchoantem in uiſceribus phlegmonem ſaltē augent inflationes, ſcirroſa uitia, nec non abſceſſuum generationes prouocant.

Quod uero tenue admodum eſt, uitium in ſe habet, ſiquidem parum nutrit, & quæ eo cibo nutriuntur corpora, gracilia & imbecilla redduntur. Cum ex cibis ſuccus crudus redditur, multiplices morbi gignuntur. Ad bonam igitur ualetudinem cibi accommodatiſsimi cenſentur, qui mediam quandam naturam inter ea quæ diximus habent, quiq; non nimis tenaces glutinoſiq; ſunt. Corporum alia denſa ſunt, & perſpirare non poſſunt, ob eam cauſam humidiore egent alimento: nonnulla, & quæ facile inaniuntur, ſicciore egent: alia item glutinoſius, parcius alia, alia uberius alimentum exigunt. Similiter quibus ſanguis eſt melancholicus humidi calidiq; dandi ſunt: quibus uero bilioſior, frigidi: ubi autem pituitoſus exiſtit, cibus tunc opus eſt qui calefaciendi ſiccandiq; uires habeat: prætterea qui probato ſanguine abundarint, parcius nutriendi, & in eorum uictu neq; egregie calefaciendi, refrigerandi, humectandi, ſiccandiq; facultatem obtineāt: Edulijs igitur cum ratione utendum, ne nobiliſsimum animæ domicilium lædamus, ſed curioſe cuſtodiamus, foueamus, & nutriamus, ut ſenectutem, quam optamus, nanciſcamur, & naturam ſaciemus ætate uiuendi.

ACETVM

ACETVM mixtæ est naturæ frigidæ et calidæ, sed utriusq; tenuis, frigida tamen calidam excellit: frigidis rebus mediocriter additum, ipsas frigidiores, calidis uero callidiores reddit, sua siccitate stringit. Stomacho utile, appetentiam excitat, & fastidium per se haustum discutit. Cibarijs concoctum aluum adstringit, et fluxionibus utile: cum melle uero incidit & subtiliat. Sanguineis & cholericis confert, phlegmaticis aduersatur, & melancholicis nocet, pinguia siccat.

ADEPS pinguedine multo siccior est, pauci nutrimenti sunt, et stomacho nocent, potiusq; carnium nos alentium sunt condimenta, quam alimenta.

AGNI caro calida est & humida, multiq; alimenti: pituitosa est, & uelociter descendit propter eius humiditatem.

AGRESTA, omphacium Græcis, succus est uuæ immaturæ, adstringens egregie, & siccans: eoq; fluidis affectibus & præsertim stomachis accommodatur. Aceto minus siccat, dissoluitq;. Appetentiam incitat, stomachum & epar calidum roborat.

ALLIA corpus calefaciunt, humores crassos tenuant, lentosq; incidunt: cruda omnino nihil. Allium autem mandunt, non ut obsonium, sed ut salubre medicamentum, quod digerendi & obstructiones aperiendi habeant facultatem: elixa uires habent im

beciliores, ſucci autem prauitatem non amplius reti net, ſicut nec porrum nec cæpæ, cum elixa bis fue rint. Abſtinendum tamen ab aßiduo uſu, quum is, qui ueſcitur, natura fuerit biliosus. Solis enim qui uel ſuccum pituitoſum, uel crudum & craſſum ac lentum aceruauit, ibi eiuſmodi ſunt accommodi. No cent cruda oculis, capiti, renibus, pulmoni & ſitim patientibus: Sed eius nocumentum decoctione fran gitur.

ALAE anſerum non ſunt cæterorum alis deterio res, ſed ad coquendum & nutriendum ſunt accomo dæ, & ijs adhuc magis gallinarum: uerum iuniorum & probe nutritorum.

AMYGDALAE dulces calidæ ſunt & humidæ: nihil habent facultatis adſtringentis. Tenuandi facul tas ac detergendi in eis præpollet: quia tum uiſcera purgant, tum humores è pulmone ac thorace ſputis expectorant: neq; uentri ſubducendo conferunt, neq; corpus multum nutriunt, ſed ſunt boni ſucci.

AMYGDALAE amaræ qualitatem habent præ pollentem, hæ ad pus et ſuccos craſſos ac lentos ex thorace & pulmonibus expuendos plurimum confe runt: præterea ad obſtructiones ſplenis, epatis, renum ac ueſicæ utiles.

AMYLVM refrigerat mediocriter, acria et aſpe ritates lenit. Cum lacte magis nutrit.

ANETHVM cibi appetentiam facit, cruditates sedat, præsertim uiride, inflationes finit & singultus lenit. Aridi anethi comæ seminisq; decoctum potu lac euocat.

ANATVM caro anserina calidiorem uim habet, & ad decoquendum difficilis, generansq; nauseam & superfluitates. Vide Auium genus.

ANISVM emendat uisum, stomachum confortat, flatus discutit.

ANSERVM et anatũ caro impiguant macilentum, et mãduntur cũ multis speciebus calidis, ob concoctionis difficultatem. Et humidiores inter carnes auiũ domesticarũ sunt anserum. Vide Alæ & auium genus.

AQVA præstantißima & alterius substantiæ expers, refrigerat & humectat. Optima aqua censenda est, quæ nullum aut gustu aut odore qualitatem repræsentat, sed protinus bibenti suauis est, & uisu pura limpidaq;, ac quæ à precordijs statim descendit. Quæ ad septentrionem spectat, à sole auersa, tarde permeat, lente calescit, & refrigeratur: quæ autem ad orientem per uenas terræ prorumpens, citißime calefacit, itemq; refrigeratur protinus, hanc optimam esse sperandum est. Aquam limosam fœdiq; odoris, ac absurdas resipientem qualitates recte decoques, atq; ita potui dabis uinum temperatum. Non autem desunt qui cibos ac potiones aduersus aquarum ui

ta inuenerunt: alij enim acerum decoctiones praebe bunt, alij foeniculum praemandunt. Aqua imbrium leuißima, dulcißima, limpidißima, tenuißimaq; est: etsi putrefactioni opportuna, tamen saluberrima censetur. Aqua ex glacie, & niuibus insaluberrima est. Haec enim quamuis nullam iuuenum corporibus sensibilem laesionem inferant, semsim tamen occulteq; crescente uitio, cu iam aetas progressu temporis inclinarit. Senibus est inutilis & praecipue his, qui podagra & neruorum aegritudinibus laborant, ac omnibus qui minime exercentur, nocet.

AQVA mulsa, require Hydromeli.

AQVA uitae simplex, tristibus, melancholicis & pituitosis utilis est: caput suo calore confortat, memoriae opitulatur, & calorem naturalem auget: stomachum frigidum & phlegmaticum calefacit, digestionem iuuat. Nec caput, nec alia membra sinit infrigidari imposita.

AQVA Sacharata in calida affectione praestat Hydromelitide. Vide Hydromeli.

AQVA hordei, si debet nutrire, hordeum sit confractum. Si autem alterarare, abstergere, & minus nutrire, integrum coquatur. Si uolueris sitim mitigare, asperitatem lenire, inflammationem extinguere, et pectus ac praecordia humectare, pulmonemq; lenire, tunc hordeu debet bene decorticari ab utroq;

corticę.

ARIETVM carnes sunt conuenientiores corpori temperato, carnibus uaccinis, et ab autumno, usq; ad medietatem ueris sunt malę, & in ęstate bonę. Vide plura Carnes probe elixę.

ARMORATIA, require Raphanus agrestis.

ASPARAGVS abstergit, calore & frigiditate medius est: celerius quam reliqua olera in sanguinem mutatur: stomacho boni sunt, sed non semper, propterea sale & oleo conditis, cum mediocriter cocti sunt, uti oportet, alij paucum acetum adijciunt, ita iucundiora sunt, stomachumq; magis iuuant, tamen paucum dant corpori alimentum, & non boni succi. Renum & iecoris obstructiones aperit, praesertim radices & semen. Ramuli eius cum butyro & aceto cocti, sicut lapulus, uentrem leniunt. In hortis plantatur, & in nonnullis locis lapidosis & arenosis sponte prouenit.

AVELLANAE, Vide nux iuglans, & nuces auellanę.

AVRES cartilaginosę sunt, similiter rostra, quorum extremitates comeduntur, & ad concoctionem sunt pertinaces.

AVIVM genus paucissimum pręstat nutrimentum, uolucrum caro ad coquendum facilior, pręcipue perdicũ, columbę, galli gallinacei et gallinę: tur

dorũ uero & merularũ, paruorũq́; passerum quam prædictarum est durior: his turturis, palumbis, anatisq́; caro est durior: phasionorum, quod ad concoctionem & nutrimentum attinet, gallinis est similis: his durior est pauonis caro, & ad coquendum difficilior. Quæ autem assa sunt et frixa, ea sunt sicciora: quæ uero in aqua elixa, alimentum corpori præbent humidius. Anserum caro est excrementicia, multoq́; ad coquendum est difficilior, quam prædictorum uolucrum: ipsarum tamen alæ ad coquendum & nutriendum accommodæ: magis adhuc gallinarum: uerum iuniorum & probe nutritorum caro præstantißima: peßima autem gracilia & annosorum. Pedes paulominus omnino ubi sunt inepti. Gallorum testes sunt præstantissimi, præcipue altilium.

BATI fructus. Require Rubi fructus.

BAVCIAS. Vide Daucum.

BETA abstersoria uentrem subducit, stomachum interdum erodit, ob id edulium stomacho est noxium, si largius sumatur: Iecoris lienisq́; meatus obstruit. corpori autem paucum alimentum accedit.

BLETA parum refrigerat & humectat, neq; stringit, neq; laxat, & parum alimenti præstat.

BOLETI, require Tuber.

BORAGO, eandem uim cum buglossa obtinet. Vide Buglossa.

BOVIS caro. uide Carnes probe elixæ.

BRASSICA hortensis bis cocta, si edatur, aluum cohibet: semel autem non tamen uehementer cocta cum oleo & sale comesta, magis subduat. Exiguum corpori dat alimenti.

BVBVLAE carnes. uide Carnes probe elixæ.

BVGLOSSVM humidum calidumq; temperamento est, eamq; ob causam uino iniecta lætitiam animi conciliare dicitur.

BVTYRVM recens idem efficit quod oleum recens. Nutrit & corporis substantiam auget. Si butyro corpus inunxeris, & frixeris carnes, citim pinguem non aliter ac si oleo frixisses, reddet. Stomachum quidem humectat, sed emendatur stypticis. Largius epotum aluum mollit, & resoluit.

CANCRI fluuiatiles multi sunt nutrimenti, & non facile in stomacho corrumpuntur, uerum concoctioni repugnant. Autumno & Vere piguescunt, et plenilunio magis. Cocti asthmaticis & phthisicis prosunt. Valent etiam contra uenena. Aqua stillaticia ex cancris tritis confert paraliticis et consumptis: carnem enim augmentat mane & uesperi pota.

CANNABIS semen flatus discutit, capiti aduersatur largius sumptum, prauos humores creat, & genituram exarefacit, concoctu est difficile. Sunt qui nocumento frangunt aceto & melle.

CAPITA esui apta, multum nutriunt, augent sperma, & digestionem tardant, nocent autem stoma cho.

CAPPARIS minimum alimenti in corpus distribu it. Viridis plus habet alimenti: ex salitura autem amittit plurimum, & nisi sal eluatur, omni alimen to destituitur, aluum tamen subducit, appetentiam col lapsam excitat, et pituitam in uentre detergit ac sub ducit. Purgat lienis epatisq; obstructiones. Vti au tem eo oportet ante omnes cibos ex oximelitide, uel aceto & oleo.

CAPRARVM caro malum succum efficit. uide Carnes probe elixæ.

CARNES probe elixæ, optimum gignunt sangui nem, potissimum ex animalibus boni succi. Suum caro potentissime nutrit. Bubulæ carnes suillam su perant. Bouis caro temperamento est, sicciore quam sus. Vituli carnes ad conficiendum perfectis bobus præstantiores. Sic hœdi capris. Capra mi nus quam bos est sicca. Porcelli alimentum nobis præbent multum, & eorum pedes aptissimi sunt. Agni carnem habent humidissimam & pituitosam. Ouium excrementosior, & succi deterioris. Ca prarum caro præbet succum uitiosum, & acrimoni am habet: iuuenum sunt sapidiores. Hircorum tum ad coquendum, tum ad succum bonum generan dum

dũ est deterrima. Arietum hanc sequitur. Taurorũ post. Carnes castratorũ in ijs sũt præstantiores. Seniũ autem peßimæ cum ad coquendum, tum ad nutriendum: quemadmodum sues ipsi. Leporum caro sanguinem gignit craßiorem, sed melioris succi quam bubula & ouilla. Ceruina non minus ijs succum uitiosum generat & concoctu difficilem. Vrsina caro alijs deterior est.

CARVI seu cari semen calefacit & siccat, flatusq; digerit, stomacho utile, & concoctionem iuuat.

CASEVS omnium præstantißimus est suauißimus. Recens, pinguis, dulcis & modici salis particeps, multum nutrit. At ob succi craßitiem calculus in renibus procreatur. Vetus & acris detestatur, quia ægre concoquitur, sitim facit & uitiosos succos generat.

CASTRATA nõ castratis, pinguia macris præstãt.

CASTANEAE calidæ sunt & siccæ, siue elixentur, siue assentur, semper sunt prauæ: adstringunt, præsertim tunica, quæ carnem & corticem media intercursat.

CAVLIS, uide Braßica.

CAEPAE humores incidunt, appetentiam reparant, uentrem mollificant, & urinam prouocant. Bonum efficiunt colorem: sed uisum hebetant, & uentositatem faciunt, ac infirmis nocent. Coctæ uero tutius sumuntur, & plus alunt. require Allium.

CERASA dulcia aluum subducunt, uerum stomacho incommoda: austera aluum stringunt, et stomacho utiliora sunt: acida ob incidendi uim quam habent, pituitosis excrementosisq; stomachisq; prosunt: flauam bilem reprimunt, sitim extinguunt, & edendi desiderium inducunt. Alimentum corpori præbent tenue & humidum, ac sunt pauci nutrimenti, sicut cæteri fructus fugaces. uide Fructus.

CEREBRVM est pituitosum, crassi uiscosiq; succi, lente transit, concoctioni aduersatur, stomachum lædit, & nauseam excitat: probe autem coctum, & cum sale alijsq; modis apparatum, alimentum corpori præstabit non contemnendum.

CHEREFOLIVM stomachi uentositatem resoluit, oppilationem tollit, renibus & uesicæ utile.

CEREVISIA ex optimis granis tritici, hordei, siue auenæ, bene cocta, clara & antiqua, optima censetur. Crassos humores gignit, carnem auget, uentrem mollit & inflat. Ex hordeo decocta frigidior est: ex tritico uero magis nutrit, magisq; oppilat, quæ autem ex hordeo & auena incoquitur, minus opilat, minus flatus gignit, minusq; nutrit. Crassior deterior, tenuis melior existit. Cum lupulo cocta, uentrem mollit, & urinam prouocat, sed cerebro debiliori, si multum lupuli habuerit, nocet. Mala & parum cocta uentris tormina, inflationes, &

colicam paßionem inducit. Recens et turbida iisdem malis obnoxia est, quibus male cocta: præterea uenarum meatus obstruit, flatus gignit, anhelitum difficilem reddit, phlegmata auget, stranguriam facit, & calculosis nocet. Ebrietas ex cereuisia deterior et diuturnior est quam ex uino. Sciendum quoq; prandium uel cœnam (si modo cætera pariter adsint, & nihil obstiterit) utilius à cereuisia, quam à uino inchoari. Qui ex nimia uini potatione sitit, cereuisiam bibat: hæc enim sitim mendosam tollit. Acetosa cereuisia stomacho & neruis plerunq; nocet.

CERVINA caro. require Carnes probe elixæ.

CICER est edulium non minus quam faba flatulentum, sed ualentius nutrit quam illa: Venerem incitat, abstergit magis quam faba. Succus eius bibitur contra calculum in renibus, quem comminuit: prouocat urinam et menses, nigrum potißimum. Album mundificat renes, Splenem & epar. Cum ouis & cæpis augent naturam, impiguant corpus, & humectant siccitates.

CINNAMOMVM calidum est et siccum: digerit super omnia æque calida: præsidium est non paruum aduersus omnes prauas dispositiones stomachi: humores crassos, qui in eo inhæserunt, tenuat ac tergit. Cerebrum confortat, iecur & renes putreq; pectus alit: matriã uexatæ uesicæq; languidæ pro

deſt: Artubus torpeſcentibus, ac tremulis lacertis ui res addit.

CYDONIA ualent contra fluxum ſanguinis ante cibum, ſuccus eorum ſedat uomitum. Succus cum melle coctus datur iis, qui deiectam habent appetentiam: habeat etiam quippiam piperis albi, zinzibe ris & aceti: cum ſacharo idem præſtat.

CYMINVM ſatiuum condimentorum omnium faſtidijs amiciſſimum, magnus uſus in ſtomachi reme dijs: diſcutit pituitas, inflationes, tormina, & inteſti norum dolores.

CITRIVM, ſeu malum medicum. Pars exterior acris eſt, & propter duritiem concoctu eſt difficilis. Si corpus parce ſumptum fuerit, ſtomacho robur in duat. Pars media, quæ neq; acida, neq; acrem ha bet qualitatem, corpus nutrit. Interior pars ſiue aci da, ſiue aquoſa fuerit, craſſi ſucci eſt, ac pituitæ ge nerandæ apta, & frigida.

CITRVLLI ut cucumeres urinam prouocant, uen trem laxant, & ſitim mitigant. Eorum nocumenta, uide Cucumer.

COLVMBAE caro concoctu eſt difficilis: ex iuni oribus meliores ſunt. uide Carnes probe elixæ.

COR ad coquendum eſt difficile, & tarde perme at: ſi tamen probe conficiatur, alimentum corpori exhibet non paucum neq; mali ſucci.

CORIA et cutes auium sunt meliores inter omnia animalium, parum alunt, tarde decoquuntur, & aluum adstringunt.

CORIANDRVM copia sumptum, mentem non leui periculo tentat: ob id semen aceto maceramus, officinis coriandrum præparatum uocatur, sic enim præparatum, bonum est stomacho, & eundem corroborat, ac cibos in uentriculo, donec probe concoquitur, retinet. Coriandrum subtritum aceto, carnē incorruptam æstate seruari tradit Plinius.

CORNI arboris fructus acerbus, si edatur, ualide uentrem adstringit, parum, alit, & tarde decoquitur.

COTVRNICES insipidiores alijs auibus sunt, sensibus mala sunt, uentri inuisa, & mali alimenti, malisq; febribus exitium: ex ijs tibi cœna non sit, sed leue prandiolum.

CROCVS calidus est & siccus, parum & mediocriter adstringit, qua facultate cor et partes alias roborat, & suo calore moderato & siccando modice coquit & digerit. Hunc quoq; stomachus, triste pectus, & uiscera amant. Somnum conciliat. Illo uero mediocriter utendum: nam immodice sumptus, pallorem contrahit, & capitis dolorem cibiq; facit inappetentiam.

CVCVMERES urinam cient sicut Pepones qui ca

cumeres belle concoquunt, & se impleuerint ijs, praus succus ex ipsis post longum tempus in uenis colligitur: qui postea exiguam ad putrendum occasionem nactus, febres malignas accendit, & si celerius digeri non possunt, in succum fere lætalibus uenenis similem uertuntur. Summatim omnia poma refrigerant humectántq;, imbecilliter alunt, & uiciosum humorem gignunt. Semen cit urinam, abstergit, & calculosis utile est.

CVCVRBITA refrigerat humectatq;, ob id exiguum præbet alimentum, uentrem subducit, et sitim extinguit. Semen urinam citat, et calculos in renibus confringit. Eius nocumentum uide Cucumeres.

DACTYLI. require Palmæ fructus.

DAVCVM quod Staphylinum & pastinaca dicitur, cuius radix comeditur cruda et cocta, & minus nutrit rapis: calefacit, laxat, subtiliat, urinam prouocat, inflat, & sanguinem non satis benignum generat. Ori grata, stomacho utilis, appetentiam excitat, & Ventrem in cibo mouet. Syluestris daucà semen minime flatus creat, sed urinam citat. Erratica officinis Baucias dicitur, satiuo similis est, et effectum.

DEVTERIA. uide Lora & Vuæ albæ.

ERVCAE semen calidum est, et libidinem capitisq; dolorem excitat. Phlegma incidit, uentositates resoluit, & epatis splenisq; obstructionem aperit. Ca

pitis autem dolorem tum infert, quum quis ipso solo uescatur.

FABAE inflant et abstergunt. Pisum non adeo flatuosum est. faciunt somnia mala & laßitudinem, hebetantq; sensum, nisi sal addatur.

FARINACEVS pollen uirtute respondet Amylo, sed calidior est. uide Triticum.

FOENICVLVM si edatur, aut semen eius cum ptisana bibatur, mammas lacte replet. Semen comestum, oculos incolumes seruat, & uentrem inflatione obnoxium æquat, calculumq; è lumbis comminuit.

FAEX uini dësicat, discutit, atq; adstrictoria facultas ei accedit. Vtendum ea tum in humidioribus, tum in fluidis affectionibus.

FICVS aridæ in secundo fere ordine siccant. Hæc ipsis insunt bona, quod uentrem prompte permeent, & quod facile totum corpus peruadunt, & abstergendi insignem habent facultatem: quo fit ut ipsarum usum ne phretia multas arenulas excernant. Carnem laxam, ut fabæ, generant. Flatibus uentrem implent. Si quis largius esitauerit ab eis, offenditur. Sanguinem non admodum probum gignunt. Habent etiam tenuandi facultatem & incidendi, quæ uentrem quoq; ad excretionem irritant, renesq; expurgant. Iecori autem lieniq; inflatione obseßis sunt noxiæ, nisi cum calidis, ut cum zinzibe

re & aliis incisiuis sumantur. Cum iuglande nuce praessumpta inefficacia reddit uenena.

FRAGA mediocriter refrigerant, sitim sedant, et sunt gustatu iucundissimo, grataq; stomacho, sed exigui alimenti. Cum uino & Sacharo sumpta, urinam cient & calculosis prosunt. Valent quoq; ad ea, quae Rubi Idaei fructus potest.

FRVCTVS quibus homines uescuntur, ut pira, poma, pruna, persica, scire oportet, tenue humidumq; ex se alimentum corpori praebere, et sunt pauci nutrimenti, ac uitiosum humorem progignunt.

FVNGORVM alimentum est pituitosum & frigidum, prauiq; succi: nonnulli ipsorum manducati, exitium adferuut, praesertim qui inter ipsos natura constant putridae qualitatis participi. uide Tuber.

FVRFVREVM iusculum modice calefacit & siccat. Parũ alit. Cum aceto incitat appetitũ, et stomacho calidiori competit: uerum cum melle frigidiori utilius est: cum milio aut oleo communi plus nutrit.

GALLINAE caro cibus est temperatus, quia nec calidae sunt, nec frigidae: pulchrum efficiunt colorem. uide plura Auium genus.

GALLORVM ueterum iusculum uentrem laxat.

GARIOPHYLI uim memorem cerebri confortant, his tenebrosa relucent lumina, cor calefaciunt, stomachum & iecur roborant, & uim digestinam

mire

nire iuuant, ac fere cunctis interioribus ualent.

GLANDES non minus quam frumentacea alunt, sed concoctu difficiles, crassi succi, & tarde permeant. Castaneæ omni ex parte his præcellunt.

GLANDVLAE carnes suaues sunt, sed mammarum præcipue suum cum lacte scatent: hæ autem non minus quam carnes alunt.

HEPAR omnium animalium crassi est succi, ac ad coquendum difficilis, tardeq; permeat, & cum digeruntur, multum nutriunt. Sapidius est hepar anserum piguium et gallinarum, deinde porcorum impinguatorum. Hepar caprinum comestum epilepsiam inducit: idem facit hepar hircinum assum & manducatum.

HIRCORVM caro deterrima est, siue succi bonitatem, siue concoctionem respicias. uide Carnes probe elixæ.

HORDEVM minus quam triticum alit. Ptisana ob cremorem in decoctione redditum, plus alimenti præbet, quã polẽta ex hordeo. uide plura Ptisana.

HOEDI carnes præstantiores sunt capris. uide Carnes probe elixæ.

HYDROMELI, latinis Melicratum & aqua mulsa dicitur. Hoc modo præparari debet, octupla aquæ portio melli admiscetur incoquiturq;, donec spumare desinat. Non admodum biliosis utilis est,

nt quæ in bilem degeneret. Decocta medietate uino aut loræ, in recreandis uiribus respondet, & simi lem uim adipiscitur. Confert intemperaturæ potissi mum frigidæ, imbecillis, laboranti stomacho, aut ci bum fastidienti: item tussientibus, peripneumoniacis, & immodico sudore correptis. Cum plurimum æra gnis sibi uendicat, ægrotantibus noxium. Verum in calida temperatura præstantior est aqua sacharata. Quodsi ex his, post usum septem dierum, aut ui res nimis collabūtur, aut uentriculus male concoquat, ad uinum redeundum, uel potius uinum mellis, quod Mulsum appellant, transeundum. Aqua mulsa cru da utimur, cum mollire deiectionem aut uomitionem incitare uolumus. Inflationes autem & tormina ex citat.

INTESTINA, stomachus, & uulua, concoctioni aduersantur: succum gignunt non plane sanguine um, neq; inculpatum, sed frigidiorem et crudiorem. Proinde multum temporis requirunt priusquam sa tis confici & in probum sanguinem mutari queunt.

INTYBVM frigidi humidiq; temperamenti, sed minus quam Lactuca existit.

IVNIPERI fructus hepar et renes purgat, & suc cos crassos ac lentos tenuat. Alimentum uero ex ip so exiguum corpori hominum accedit. Si quis ip sum largius sumpserit, stomachum mordet, caput ca

lesciat & replet: doloribus quandoq; infestant uentrem. Vrinas mediocriter uacuat.

IVS gallorum ueterum. uide Gallorum ueterum iusculum.

IVS è furfure. uide Furfureum iusculum.

IVS esculentum recentium piscium aluum & per se, & cum uino potum deijcit: priuatim in hunc usum conficitur ex percis & saxatilibus, nec alijs uirus olentibus: coquuntur autem in aqua, oleo, anetho & sale.

IVS caulium & per se, & cum pauco sale tepide potum laxat uentrem.

LAC omne tribus constat substantijs, caseosa, serosa, & pingui. Caprarum lac est mediæ consistentiæ: omnium crassius est. crassius autem ualentius nutrit, tenuius minus. Lac facile in uentriculo in caseum cogitur, ob id mel illi aut sal immiscemus. Omnium quæ mandimus lac optimum optimi succi est. Qui uero eo multum utuntur, est periculosum: tum maxime ijs, qui calculis generandis sunt appositi: iecur item obstruunt ijs, qui hoc affectu facile prehendi possunt: tales autem sunt, qui fines eorum uasorum, qui cibum ex simis uisceris in gibba transmittunt, sunt angusti. Thoracis autem et pulmonis partibus lac omne est utile: capiti uero, nisi quis ipsum habeat admodum firmum, non est accommodum, ut

nec hyporhondrijs, quæ leui de causa inflantur. Lac quod serosum est, succos crassos tenuat, & aluum subducit: quod uero caseosum est, aluum sistit, & succos crassos gignit, ex quibus in hepate obstructiones, & in renibus calculi oriuntur. Nocet quoq; assiduus usus dentibus & gingiuis nisi cum uino ablutio fiat: præterea febricitantibus malum est.

LAC acidum, Græcis oxigalacte, non bene conficit uentriculus quauis de causa frigidior. Tempertus uero, quamuis ægre conficiat, tamen aliquantum. Ventriculi calidiores commodo aliquo fruuntur. Quod uero in stomacho non fuerit coctum, acidum aut fumosum euadit. Siquidem caloris inopia in acorem, eiusdem autem excessum in nidorem aut fumum uertit. Frigidum est ac crassi succi: calculos in renibus gignere solet: gingiuis ac dentibus nocet. sitim extinguit.

LACTVCA succũ habet omnium olerũ præstantissimũ: siquidem plurimũ sanguinem generat. Quidã æstatis tempore mandunt ipsam crudam. pleriq; priusquam in caulem assurgit, ipsa in aqua cocta utuntur. Lactuca uesperi mansa, somnum conciliat, & choleram reprimit. Succum habent frigidum & humidum, non tamen est praui succi: neq; stringit, neq; laxat. sitim mitigat. Sed ualeat si uult gaudia nostra Venus.

LAGANA. require Panis.

LENS craßi uiscosiq́; succi est, et atram bilem producit. Bis cocta aluum cohibet, uentris fluxus sicut, stomachum, intestina & totum uentrem corroborat. Cœliacis & dysentericis accommodus. Crudæ minus nutriunt, sed promptius deijciuntur: nam cortex laxat, medulla stringit. Decoctum cum oleo et sale potum, aluum proritat. at quia inflationes mouet, satureia admiscendum est.

LEPORIS caro. require Carnes probe elixæ.

LEMONII fructus austerus cum uino cœliacis, dysentericis & sanguinem spuentibus datur. Prætrea uires habet sicut malum citrium, & mala aurantia. require Citrium.

LIEN praui succi creditur, ut qui sanguinem melancholicum generet.

LINGVA parum alimenti habet, boni succi est & facile digeritur.

LORA. require Vuæ albæ.

LVPVLVS frigidus est, bilem & sanguinem arcet. Ramuli cum uino, uel oleo, uel butyro cocti, uentrem, ut asparagus, leniunt. nonnulli adijciunt modicum aceti & salis: sic enim sumpti, appetentiam incitant.

LVPVS alimentum sane tum ex hoc, tum ex alijs piscibus prouenit, sanguinem gignit consistentia te

calorem, quam qui ex pedestribus animalibus sumū tur. uide Pisces optimi.

MACIS tertio ordine sicut, interq; calorem & frigiditatem medium obtinet: adstringit, cœliacis, & intestinorum torminibus auxiliaris est, stomachum roborat, et concoctionem iuuat: hepati, asthmaticis, iliacis, & cardiacis in cibo & potu conuenit.

MALA punica seu mala granata minimum corpori præbent nutrimentum: succus eius uentriculum roborat, adeo, ut humorem in tunicis contentum expellat. Dulcia ualent contra asperitatem pectoris, succus educit choleram, & confortat stomachum & hepar. Acetosa uero conueniunt hepati calido, et dolori orificij stomachi, uomitumq; sedant: nocent uero pectori & uoci. Eorum acini uentrem stringunt, magis quam succus: efficatius his adhuc malicorium.

MALA aurantia ualent sicut citria mala. require igitur Citria mala.

MALIS omnibus frigida et excrementicia inest humiditas: & quæ in eorum censu tenera & aquosa sunt, frigiditate cæteris & humiditate præstant: dulcia aquosa quidem, non tamen manifeste frigida sūt: austera dulcibus quidem frigidiora, sed minus humida: acida frigida quidem uerum incidendi humores uentriculo inhærentes uim testantur: si succum crassum in uentre inuenerint, ipsum incidunt, ac deor

sum subducunt, ob id deiectiones humectant: si uentrem purum inuenerint, magis sistunt. Austera siue acerba sunt apta in uomitu, diarrhea, ac dysenteria: ualent quoq; contra choleram, inflammationes, et syncopen. Dulcia, matura, fragrantia, & ad hyemem durantia ad calidius uergunt, & eius succus celerius distribuitur: stomacho nauseunti succurrunt, appetentiam inducunt, digestionem iuuant, & cor confortant, animumq; lætificant: quod si acrimoniam habuerint: citius subducuntur. nocent poma neruis.

MALVM medicum. uide Citrium.

MARZAPANIS optimum alimentum præbet, bene concoquitur, pectori & renibus conuenit, impinguat, Venerē incitat, et urinæ ardorem mitigat.

MEDVLLA oßium, cerebro est dulcior, iucundior ac pinguior, in cæteris ei respondet, Nauseam prouocat si liberius sumatur: nutrit tamen si probe conficiatur.

MEL ob acrimoniam aluum ad excretionem prorritat: non coctum in uentriculo ac intestinis flatus quosdam gignit, et urinam mouet. Elixū sine aqua, magis nutrit. Senibus ac in uniuersum frigidis temperamenti corporibus mel est accommodum, pulmonem lenit, et stomachum à putredine tutatur. AEtate autem florentibus & calidis in bilem uertitur.

MEL sachar, seu Sacharum magis melle nutrit,

uentri subducendo accommodatum, stomacho & renibus uesicæq; conuenit. Coctum & despumatum sedat sitim & tußim. Mellis uires æquales obtinet, præter quod nec stomacho noceat, nec sitim faciat, ut mel.

MELICRATVM. uide Hydromeli.

MELONES aluum leniter molliunt. Semina urinam prouocant, renes et uesicam purgant, lapidem frangunt, & cutim mundificant. Succus imbecilliter alit. uide Cucumeres.

MILIVM & panicum refrigerant, siccant, pauxillum nutriunt, et aluum cohibent. Cum butyro aut pinguedine suauius editur, facile concoquitur, uentrem minus sistit, magisq; nutrit. Rustici lacte incoctum mandunt, & bonum succum procreat. Oriza eodem modo, quo milium coquitur. uide Oriza.

MORA immatura inflationem faciunt & stringunt. Matura impense humectant, mediocriter refrigerant, ac ante alios cibos præsumpta, uentrem soluunt, non admodum ingrata stomacho, sed exigui alimenti. Dulcia sunt calida: acetosa uero frigida. Si diu in uentre manserit, sicut melones corrumpuntur. Succus eius utilis apostemati gutturis. Eandem facultatem habet Rubi fructus.

MVLSVM è uetere uino austeroq; & bono melle factum, præfertur: minus enim inflat, ac celeriter id

genus

genus in usum uenit. uetus corpus alit. media ætate aluo prodest, et urinam pellit, à summo cibo sumptum nocet, inter initia potum, implet, deinde appetendi auiditatem reuocat. Fit mulsum duabus uini metretis, admixta una mellis. Alij quo celerius præberi poßit, mel cum uino coquunt, & ita transfundunt. Bibitur ad propulsationem intemperaturæ frigidæ usus'q; celeber ad cerebri, neruorum, & aliarum partium affectus frigidos: eoq; podagrias, arthricis, phreneticis & senibus utile.

MVSTVM. require Vuæ albæ.

NVX aquatica. uide Tribulus aquaticus.

NVX moschata cerebrum & membra spiritualia ab algore læsa confortat comesta: hæc quoq; stomacho, iecori, uitiato spleni, & oculis subuenit: hæc quoq; aluus fluida & uesica amat.

NVX iuglans, quod in eo clauditur, edendi aptum, natura oleosum, facile bilem auget: uiridis est accommodatior, & uentrem citat: arida ubi in aqua commaduerit, membrana ipsius interior adimatur, consimilem uiridi potestatem obtinet. Dentium stupefactioni conferunt. in ore pustulas quandoq; generant, et linguã aggrauãt. Iuglãs auellana minus nutrit, et stomacho gratior. Sũt concoctu difficiles, biliosæ, & capitis dolores inferentes.

NVCES auellanæ, quas ponticas uocant, frigidio

res ſunt, & auſteræ: alimentum præbent exiguum, & ſtomacho infeſtæ ſunt.

NVX Indica calida eſt & humida. Sanguinem bonũ generat, pars interior ſeu medulla addit in ſperma.

NVX pinea. uide Pini nucleus.

NVX piſtacea. require Piſtacia.

OCVLI ex animalibus. muſculus & pinguedo comeduntur: muſculi uelocius deſcendunt: pinguedo uero natat in ſtomacho: medium uero ipſius melius eſt.

OLEVM dulciſsimum calefacit, lenit, humectat, facile concoquitur, & cito nutrit. Idem efficit quod butyrum recens. uide Butyrum recens.

OLEVM lini calidum eſt et humidum. Si cum melle & pipere pro placenta ſumatur, pectus et tuſſim lenit, ſtomacho frigido et inteſtinorum uicijs utile, ac Venerem incitat largius ſumptum.

ORIZA cibus eſt temperatus leuis ad digerendũ. Cum butyro cocta non retinet uentrem. Nauſeam ſtomachi et inteſtinorum mitigat. Cum lacte generat oppilationem, et impinguat. Minuit urinam, egeſtionem, & uentoſitatem. Cibus ex rizo & milio eodem modo coquitur, & eandem fere facultatem obtinent. Cum lacte humectat ſiccitatem: propterea cibus temperatus in humiditate & ſiccitate, inclinans

ad frigiditatem: nutrit corpus multum. Verum cibus est inconueniens habentibus oppilationem renum et hepatis, ac lapidem in renibus. Sumitur autem tuti us cum lacte amygdalino & sacharo.

OVA gallinarum et phasianorum sunt præstantio ra: deteriora uero anserum. Tremula sunt præstan tißima: sorbilia minus quidem nutriunt, sed facilius subducuntur. Cocta ad coquendum sunt difficilia, & tardi transitus, craßiusq; alimentum corpori tri buunt. Quæ uero in calidis cineribus aßantur, tar dius permeant, ac peioris sunt succi. Quæ in sar tagine sunt spissata, peßimum habent alimentum: nam interim dum coquuntur, in nidorem uertuntur, & succum crassum prauumq; gignunt. Suffocata ue ro elixis & aßis sunt meliora: quæ supra modum sunt crassa elixis & aßis sunt similia. Quæ uero ad mediocrem craßiciem peruenerunt, melius quam dura concoquuntur, et alimentum corpori dant præ stantius. Mollia pectus alunt, tußim sedant, rauce dini uocis apta sunt: stomachum, iecur, renes et uen trem mulcent, uesicamq; fouent. Dura mali nutri menti ac difficillimæ concoctionis habentur. Ouum to tum aceto incoctum si assumatur uentris fluxiones de siccat: si acerbum aliquod adiunxeris aut frixeris, multo redditur efficatius.

OVILLA caro. uide Carnes probe elixæ.

OXIMELI sanitatis tuendæ gratia ætatibus natu risq; omnibus utilißimum. Siquidem obstructiones omnes discutit, adstrictosq; meatus ita aperit, ut nulla in parte craßi glutinosiq; humores depræhen dantur: sed bonam habitudinem roburq; efficere non possunt.

PALMAE fructus, palmulæ uocatæ, officinis Dactylus, calidus mediocriter est, uisceribus roborandis & stomacho idoneus est, maxime qui iam ematurus it: uentrem retinet, crassos glutinososq; humores gignunt. Capitis faciunt dolores in cibo plures sumptæ, omnium maxime lædunt uirides.

PALVMBA. uide Auium genus.

PANIS purißimus tardißime deijcitur, siligineus plurimum alimentum præstat: post similaceus: ter tio loco medius: quartum est sordidarum genus: fur furaceus est postremus, minimumq; omnium nutrit. Concoctu autem inter panes sunt facillimi, qui pluri mum sunt fermentati, & pulcherrime subacti, ac ig ne moderato assati: Porro qui fermento omnino ca rent, nemini prorsus est accommodus. At qui super focà pauimentum aut cineres assantur praui sunt: nam extimæ partes supra modum sunt assatæ, inti mæ autem crudæ. Quod si casei aliquid addatur læduntur uel fortißimi. Placenta sunt craßi succi, & succos crudos gignunt, uentremq; cohibent, nisi mel

lis quippiam admisceatur. Lagana autem, quæ ex si milagine componuntur, crassi sunt succi, & tarde subsident, iecorisq; meatus, per quos fertur alimentum obstruunt, lienis imbecillitatem augent, calculos deniq; in renibus gignunt. Quod si belle cocta fuerint, atq; in sanguinem mutata, admodum nutriunt: cum melle uero mistam habent qualitatem. Placenta ex lacte & caseo crassi succi alimonia præstat, et nocent sicut lagana. Panis hordeaceus frigidior est pane triticeo, et parum nutrit. uide Triticum elixum.

PAPAVERIS satiui semen refrigerat, si cum pane assumatur, mediocriter somnũ conciliat, sumptumq; liberalius soporem inducit, ægre concoquitur, caput lædit idemq; aggrauat. Corpori autem nullum memorabile præstat alimentum. Cum pane et melle placenta sumpta minus refrigerat, minusq; nocet, ac magis nutrit.

PASSER sicut. Si uis esse salax, hic cerebella dabit. uide Auium genus.

PASSVLAE multum nutriunt, humiditates mundificant et laxant. confortant stomachum, et ualent contra dolorem intestinorum.

PAVONVM caro ad coquendum difficilior est gallinis. Debent autem post interfectionem per noctem suspendi, & tandem bene decoqui. Valet utentibus exercitijs, & stomacho calido.

PEDES pauci sunt nutrimenti, & paulo minus omnium cibo sunt inepti: porcellorum uero aptissimi.

PERDICES & phasiani in natura sunt propinqui, et conueniunt conualescentibus. Et meliores inter carnes phasianorum, coturnicum & turturum cum comeduntur in autumno. uide Auium genus.

PERSICORVM succus, & ueluti caro facile corrumpitur, prauaq; omnino est. Id communiter tenendum ea ante alios cibos esse sumendam: ita enim citius subducuntur, et alijs cibis uiam muniunt. Quae si postremo fuerint, una secum alia quoq; corrumpunt. Meliora sunt odorifera: & nisi cum uino odorifero sumantur: humores corrumpunt. Mollia uentrem laxant, siccata tenent.

PETROSELINVM esculentum flatibus discutiendis accommodatissimum. Illud edat, quem phlegmata uexant in capite, iecore, splene & renibus, calculosis quoq; accommodum.

PHASIANI caro leuis est stomacho; uolucrum huic primi debentur honores. uide Perdices.

PINGVEDO. require Adeps & pinguedo.

PINI fructus in aqua maceratus, ut acrimoniam suam exuat, temperatus redditur, opplens unguine suo obstruensq;. Boni quidem succi est crassiq;, & ad nutriendum ualens, non tamen facile conco

quitur.

PIPER album stomacho est accommodatius, & acrius nigro. Vis omnium calefacit, ualetudinem tuetur, appetentiam mouet, & concoctionem adiuuat. cholericis inutile est.

PYRA conferunt stomacho, inhibentur senibus, nisi comedant post zinziber. Immatura infrigidant, & uentrem stringunt. nocent autem colicæ. Pyrorum usus pomorum usui omnino similis est, aliquantum nutriunt, require Fructus.

PISA tota substantia cum fabis quandam habent similitudinem, & eodem modo cum fabis sumuntur: sed non æque ac fabæ sunt flatulentæ, nec detergendi facultatem habent, ideo segnius quam illæ per aluum secedunt. Corticæ deposito salubriora sunt, et cum lacte amygdalino sapidiora. Cocta cum iusculo carnis, aut cum oleo lini et pauco cymino, aut pipere magis nutriunt, minusq; inflant.

PISCES omnes frigidi et humidi sunt. Optimi autem sunt petrosi, durarum carnium, frangibiles, sapidi, et qui in aqua munda, arenosa, & fluuijs gignuntur, & ubi aqua rapide fluit, ac copiosa est. Non autem boni qui in stagnis, nec magnos fluuios recipiant, neq; habeant largum effluuium. Pessima sunt stagna, ex quibus nihil aquæ effluit, sed stabilis est. Alimentum quod ex piscibus prouenit, sangui

nem gignit consistentia tenuiorem, quam quod ex pedestribus animalibus sumitur. Pisces recentes corpus humectant, lac & sperma multipliant. Caueant ab usu piscium habentes stomachum debilem, uel malis humoribus repletum. Semisalsi pisces meliores sunt recentibus. Et salsi multum temporis, non sunt boni. Non sunt comedendi pisces & carnes simul, nec pisces et lacticinia post alios cibos. Pisces parum salsi, in pauca quantitate sumpti, reuocant appetitum.

PISCACIAE parum nutriunt, stomacho mediocriter conducunt, & hepar roborant: qualitatem enim aromaticam, sub amaram, subadstringentemq; habent.

PLACENTA. require Panis.

POMA. uide Malis omnibus, & Fructus.

POMA granata. uide Mala punica.

POMA aurantia. uide Mala aurantia.

POMA citrina. require Citrium.

PORCORVM et porcellorum caro. uide Carnes probe elixæ.

PORTVLACA nutrimentum habet exile, idq; humidum & frigidum ac lentum. Vtilis in febribus. ardentibus.

PRVNA corpori minimum alimenti præbent, utilia tamen ijs, quibus propositum est uentrem mediocriter

critter

criter humectare ac refrigerare. Siccata uero usui es se possunt, ueluti ficus. Optima sunt cum mediocri adstrictione magna et laxa. Exigua uero dura acer baq; peiora sunt. Cocta in melicrato, in quo plus culum sit mellis, aluum admodum deijciunt, si quis sola sumpserit, uel melicratum post ipsa sorpserit, non autem statim post prandendũ, sed aliquid temporis interponendum. Pruna incocta præmandunt ij, quibus extenuante dieta utendum est, uerum ijs aluum magis deijciunt. Pruna dulcia extinguunt sitim, educunt choleram: senibus non conueniunt, nisi biberint uinum uetus. Sicca remouent appetitum cibi. Dulcia recentia nocent stomacho. Syluestrium prunorum baccæ, uel earum succus, Acatia officinis dictus, euidenter adstringunt, uentremq; reprimũt.

PTISANA uim refrigerandi habet, & humectat cum in concoctione intumuerit: his quoq; mel, aut cyminum, aut piper, aut acetum inijcitur. Elixa cum cortice detergit: sine cortice humectat. Probe parata, tum sanis, tum ægrotis hominibus præstabit. Siquidem lentor eius leuis, continuus, blandus, lubricus & humidus moderate, sitim arcet, & ad abluendum, si quid opus est, idoneus: neq; tormina gignit, deniq; in uentriculo non exturgescit. Optimus cibus existimatur, bonumq; succum gignit, atq; non parum alimenti corpori confert: semi putres suc

ops concoquit, incommodum humorem transmutat.
Nec adstringit, nec uentriculum euertit, neq; pericu
li discrimine laborantibus eam dare inconuenit: nec
his qui indigeant uenæ sectione, aut purgatione, aut
quopiam clysteri: nec quorum uenter excrementis
redundat, aut ingenti cruciatu turbatis. febribus item
ardentibus accommodatißima.

PVLMONES sunt facilis digestionis, & eius nu
trimentum est modicum et phlegmaticum. At quod
ad nutriendum attinet, hepate est inferius.

PVLLVS facile concoquitur, sanguinem bonũ gig
nit, & omnibus temperaturis conuenit. Cum agres
tis coctus, multum alit, choleram reprimit, cordi, sto
macho, hepati, & renibus utilis.

RAPA cruda sumpta, concoctu est difficilis ac fla
tulenta, stomachoq; noxia: uerum cum sale facit ap
petere cibum, & urinam prouocat. Aquæ incocta,
nullum plantarum genus minus nutrit. At cum car
nibus uel piguedine cocta & assumpta, plus nutrit,
et semen genitale auget. Continue sumpta, crassum
succum procreat.

RAPHANVS satiuus manifeste calefacit, et attenu
andi facultatem habet, estq; obsoniũ magis quam ali
mentum. Sumitur recte ante cibum ex aceto aut sale,
alui ducendæ gratia: secundum cibum nequaquam.
Aliqui caulem elixantes mandunt cum oleo, sale et

aceto, ut rapæ caulem ac sinapi & lactucæ: nutr magis caulis iste, quam cruda radicula. paucißimum et ipse habet nutrimentum. Radix in cibo grata est ori, sed stomacho parum accommoda: præsumpta sensus excitat, appetitum incitat, sed cibum in stomacho supra se suspendit: à cibo sumptus, magis digestioni conferre creditur. Comesta à ieiuno prout antidotum magnum & adiutorium sanitatis & tutamentum corporis: sed inflat, et ructus fœtidos facit. Succus eius ex aqua acceptus fungorum nocumentis et uenenis resistit.

RAPHANVS agrestis, quam Romani Armoraciam uocant, calefacit, urinam ciendam utilior est raphano satiuo, in reliquis similes uires obtinet. Cum aceto, aut uino, aut melle, aut iusculo carnis sumptus cibi appetentiam prouocat, et digestionem iuuat.

RAPVNCVLVS parum alit, crudi in acetarijs faciunt appetere cibum.

RENES craßi ac praui succi sunt, et concoctu difficiles.

ROSMARINVS gelido capiti, hepati renibusq; suo calore aptus est in cibo. Corroborat cerebrum, sensus interiores, memoriam et cor. In pestilentia domum tutum præstat cremata: nam nidore improbam aëris perniciem diluit. Tremori ac resolutioni partium succurrunt.

ROSTRA cartilaginosa sunt sicut aures: ad con coctionem pertinaces.

RVBI fructus maturus calefacit, & mediocriter ad stringit: stomacho efficatiores quam satiua mora. Immaturus acerbus est, & ualde siccat. Si quis lar gius uescatur, capiti dolores sentiet: alij stomacho anguntur. uide Mora immatura.

RVBI Idæi fructus maturus, est olfactu & gustatu iucundißimo, fragi rubri æmulo. Eadem præstat, quæ supra dictus, et quæ mora matura. uide Mora.

RVBVS caninus fructum fert oliuæ nucleo simi lem, cum maturescat rubentem: qui siccatus, & in ui no coctus & potus, sic tamen ut sine interioribus la nis illis, quæ faucibus et arteriæ nocent, sumantur, al uum sistit magis quam ruborum.

SABVCI flos. Hic tibi odor, decor, & cibus est: hunc amat caput, stomachus & hepar.

SAL calidus est & siccus, cibos insipidos præpa rat, & facit per membra transire: eius facultas, qui bus admouetur, humores superfluos tenuat, digerit, siccatq;. Cibaria multum salsa, debilitant uisum. dis cutit laßitudines ex oleo illitus. Sal adustus mundifi cat dentes.

SALVIA calida est & sicca: in cibo sumpta, con fortat cerebrum, stomachum & hepar: utilis ner uis, manuum tremori, & paralitiais. in fluidis uen

tribus satis apta. Ad eadem efficax est saluiæ ui num.

SERAPIVM acetosum conuenit omnibus comple xionibus, & ætatibus. sitim sedat, & hepar infrigi dat. Cum radicibus efficatius datur contra obstruc tiones: cum melle minus incidit.

SERVM lactis aluum subducit, præsertim qui hoc potu plurimum utuntur: si ipsam magis subducere ue lis, salis quam plurimum inijcies. Datur quoq; comi tialibus, melancholicis, paralyticis, in lepris, elephan tijs, ac articularibus morbis: ualet item cutis infectio nibus, splenis oppilationibus & duriciei & hoc ra tione euacuationis humorum craßorum ac melancho licorum lieni insertorum.

SILIQVAE, xylocerataæ quoq; dictæ, recentes praui succi edulium est, sunt et lignosum: stomaho inutiles, aluum soluunt: eædem siccatæ sistunt, sto machoq; utiliores fiunt, urinam cient, et tußientibus ualent.

SYNAPIS calefacit interiora, & subtiliat cibos grossos, et modicum ex eo prouocat urinam, et mul tum laxat. semen masticatum. utile contra paraly sim linguæ. Comestum uero officit uisui, & calido capiti ac iecori.

SPINACHIA frigida & humida est, uentrem mollificat, flatus colligit. Vomitiones concitat, nisi

primum ius elicitur: stomacho inutile.

STOMACHVS. uide Intestina.

SVVM caro. uide Carnes probe elixæ.

TAVRORVM caro. uide Carnes probe elixæ.

TESTES animalium ad coquendum sũt difficiles, ac mali prauiq; succi. Soli gallorum gallinaceorum praecipuæ altilium sunt præstantißimi, ut qui multum nutriunt, et sperma augent.

TRIBVLVS aquaticus mediocriter refrigerat, et leniter humectat. Ex hoc etiam in farinam molito per inopiam annone panes fiunt.

TRITICVM in primo ordine calefacit, siccando humectandoq; medium est, nonnihil etiam glutinosum, et obstruendi efficax est. Elixum coctu difficile est, & inflationes creat: ubi uero concoctionem expertum est, alimentum præbet ualentißimum. In panem autem coctum, minus inflat, minusq; ægre concoquitur, utpote, fermẽti et salis particeps. uide Panis.

TVBER humorem reddit frigidiorem, et succi crassi sunt. Fungi uero frigidi pituitosi et mali succi sũt. Boleti his minus nocentes sunt: ac nisi exactius decocti edantur, periculi occasionem præbent: eoq; nonnulli cum pipere aut sale assa mandunt.

TVRDI hyeme præsertim multum alunt: pauci recrementi sunt. uide Auium genus.

TVRTVRES calidi sunt & sicci, in cibo aluum

adstringunt, & dysentericis commode dantur. Eligunntur autem earum pulli, qui nos in Venerem rapiunt. uide Auium genus.

VACCINA caro. uide Carnes probe elixæ, & Arietum carnes.

VBERA multum nutriunt, uerum ex animalibus minora sunt, meliora, & lac augent.

VINVM in uniuersum omne nutrit. Nouum inflat, & ægre concoquitur, insomnia parit grauia, & urinam ciet: neruos minus tentat. Crassum, nouum et dulce plurimi est nutrimenti, sed nocet stomacho. Tenue minus nutrit, uerum uelocius per membra distribuitur. Dulce uentrem fluere facit minus quam urinam, stomachum inflat, ac aluum & interiora, ut mustum, turbat: sed minus inebriat, renibus & uesicæ aptißimum. Austerum stomacho amicum est, & per urinã celerius transit: uerum ægre in corpus distribuitur, minusq́; alit: caput dolore tentat, & temulentiam gignit. Acerbum ad ciborum digestionem per membra accommodatißimum, aluum & cæteras fluxiones cohibet, minusq́; urinam expellit. Vino ueteri nerui læduntur, et reliqui sensus. In secunda ualetudine paucum aqua dilutum, innoxie sumitur. Vinum rubens ac crassum, concoctu difficile est, sed sangvini generando accommodatißimum, & ebrietatem creat: post nigra, crassa, & dulcia.

Album tenue est modicæ caliditatis & paucâ nutrimẽ
ti: stomacho utile, & facile in membra distribuitur.
Giluum, quod medium est, medias inter utrunq; ui
res habet. In secunda tamen & sinistra ualetudine
cum primis laudatur album. Quæ uetustate dulcesc
cunt, renibus & uesicæ accommodatiora redduntur.
Vetera ualde tenuia et candida uehementius urinam
ciunt, & dolores capitis mouent, neruosq; largius
pota tentant: siquidem obsessos neruos quotidie re
mittit. AEtate medium utraq; uitia fugit, & ad uic
tus sanorum ægrotorumq; usurpatur: hoc enim sua
natura calorem in nobis resuscitat, unde concoctio
melior, & sanguis probus euadit, cibos per omnia
corporis membra facile deducit: quamobrem ex mor
bo emaciatos reficit, corpusq; ipsorum auget. Etiam
cibi cupiditatem facit, pituitam extenuat, bilem per
urinam educit, & bonum colorem facit, animi lætici
am uoluptatemq; parit, robor adijcit, & somnum
conciliat. Immoderata uini potatio contrariorum oc
casionem præbet: eoq; temulenti animo turbantur,
desipiunt, tremunt, graui somno premuntur et an
te tempus senescunt debilitanturq;: qua de causa im
modica uini potatio diligenter uitanda est. quanquam
longiori temporis interuallo liberaliter bibere condu
cit: ita namq; urina largius & sudores promouen
tur. Nocet autem ebrietas omnis, & maxime assi
duai

dua.

VINUM absinthites accommodatũ est stomacho, et cibum non appetentibus, iecinorosis, regio morbo correptis & nephreticis. Verum cum eius succo uinum temperatum, nonnullis capitis grauedinem & dolorem inducat.

VINUM saluiæ. uide Saluia.

VINUM sublimatum. uide Aqua uitæ simplex.

VITULORUM iuniorum carnes temperatiores sunt in humiditate ac siccitate, & sunt præstantiores carnibus bouinis perfectis, facile concoquuntur, & sunt boni succi. uide Carnes probæ elixæ.

VOLUCRUM caro. uide Auium genus.

URSINA caro. uide Carnes probe elixæ.

URTICA extenuat, uentrem subducit, & modice alit.

UUAE albæ laxant magis nigris, & quanto dulciores fuerint, tanto calidiores: sunt iuuamento pectori & pulmoni. nocent hepati, spleni ac uesicæ, & sitim inducunt: aquositas earum est calida & humida. Acini sunt frigidi, sicci, & styptici. Uuæ magis nutriunt fructibus fugacibus, minimumq; praui succi habent. Caro uero quæ ex ipsis gignitur, non est firma ac densa, & minus alunt quam ficus. Mustum laxat, & ni uelociter pertranseat, flatibus implet. Quæ dulces sunt, succum habent calidio

rem: austeræ & acidæ frigidiorem. Omnium usus est tutißimus, si quis moderate sumat, & cum uuæ maturæ fuerint carnosæ. Quod uero ab uuis austeris & acidis est expressum, ad omnia est peßimum. Deuteria uero seu Lora ocyus per urinas redditur, si dulcior & suauior: si uuæ acidæ et acerbæ fuerint, minus cit urinas.

VVAE passæ alijs calidiores sunt, stomacho gratiores, ualentius alunt, sed minus subducunt aluum. Alimentum copiosius distribuitur ex pinguibus & dulcibus: partius ex austeris & macris. Valentius nutriunt si exempta fuerint acini: nam sunt frigidi, sicci & styptici.

ZINZIBER cibo conueniens est, & cum condimento assumitur. Excalefactoriam uim & excoquentem habet. aluum leniter mollit. stomacho



TABVLA EDVLIORVM.

MVLTVM NVTRIENTIA SVNT.

Anserum alæ cum pectoribus.
Alæ anatum, gallinarum & caponum.
Alui omnium uolucrum. Lac crassum.
Oua sorbilia. Panis triticeus, siligneus.
Frumentum coctum. Cicer ruffum.
Dactyli dulces. Castaneæ.
Vuæ passæ dulces. Cancri.
Rapæ. Fabæ. Mel despumatum. Vinum omne.

PARVM NVTRIVNT.

Animalium uuluæ. Ventres. Intestina. Aures. Caudæ. Adipes. Caro senescentium.
Auium genus si comparetur, cum genere pedibus ite rantium. Omnes pisces. Panis hordeaceus.
Panis furfuraceus. Pultes ex hordeo. Milium.
Amygdala. Pruna. Fabæ uirides. Raphanus.
Persica. Capparis. Sinapi. Asparagus.
Daucus. Allia. Porra cruda. Malagranata.
Pyra.

BONI SVCCI SVNT.

Lac recens statim à mulctura potum, ante omnem cibum. Oua recentia sorbilia. Phasiani.

Gallinæ. Pulastræ. Aues paruulæ montanæ.
Pisciculi saxatiles. Porcelli recentes. Partes animalium quæ sunt circa os. Pedes porcorum. Animalia agresta. Panis purus. Ptisana bene parata.
Fabæ. Ficus maturæ. Castaneæ. Vuæ maturæ
Cicer ruffum. Lactuca. Vina bene olentia dulcia bene defæcata. Cichorium.

MALI SVCCI SVNT.

Pisces stagnales in paludibus & lutosis. Pecoris caro. Caro hircorum, caprarum. Carnes uetulæ & aridæ. Ceruorum renes.
Testiculi fœminarum. Cerebella: nisi gallorum.
Casei molles. Legumina. Lens. Cicer ruffum.
Animalia marina. Fructuum genera, quæ in pomi nomen ueniunt. Pyra Persica. Mespila.
Mala granata non matura. Pruna, nisi optime maturuerint. Cerasa. Pepones. Cucumeres.
Ficus aridæ. Raphanus. Corna mala. Cæpæ.
Allium. Porrum. Brassica cruda. Holera agrestia. Bulbi non bene cocti. Vina crassa, male olentia, insuauia, austera.

FACILE CONCOQVVNTVR.

Panis bene concinnatus. Pisces saxatiles omnes.
Auium caro. Turtures. Perdices. Phasiani.
Caro caponum & gallinarum. Pulli columbini, plus etiam alæ cæteris membris. Anseris iecur.

Caro porcorum recentium. Caro uitulina.
Caro ceruorum. Omne genus uolucrum pullorum gallinaceorũ. Oua sorbilia. Lactuca. Malua.
Vina leuia, melius austerum.

QVAE DIFFICVLTER CONCOQVVNTVR.

Caro Caprina, Ceruina, Bubula.
Caro Hircina, Taurina.
Caro Anserum, Anatum.
Sues inueterati. Omnia interanea.
Cor. Aures. Renes. Hepar.
Vuluæ. Intestina. Caudæ.
Medulla dorsi. Cerebra.
Testiculi integrorum ætate animalium.
Querquedulæ. Palumbes.
Aues asperioris carnis.
Omnes uentres uolucrum.
Cochleæ. Cancri. Oua tosta.
Caseus autiquus & tostus. Oxygala.
Farina, & quicquid sine fermento pinsitur.
Fabæ. Phaseoli. Cicer. Oriza.
Milium. Lens. Castanea. Glans.
Ficus immaturæ. Dactyli. Siliquæ.
Vuæ acidæ & austeræ.
Poma antequam maturuerint.
Pyra. Rapa. Napus. Bulbi crudi.

Olera, praeter Cichorium & Lactucam.
Vinum crassum. Mustum.

GENERANTIA LAC.

Semen fœniculi. Radix fœniculi.
Anisum. Anethum. Pastinaca.
Hordeum. Raphanus. Eruca.
Aqua casei ueteris cocti.
Oua sorbilia. Mel cum croco.

INFLANTIA.

Fabæ. Cicer. Lupinum. Milium.
Punicum. Succi omnes.
Ficus arida. Dactyli recentes. Massa ex farina.
Rapæ. Napi crudi. Bulbi crudiores. Mel non probe coctum. Lac. Vina dulcia. Mustum.
Vinum quodcunq; non defæcatum et recens.

OPPILACIONES DISCVTIENTIA ABSTERGENTIA ET SECANTIA.

Ptisana. Vuæ passæ. Cicer nigrum. Fabæ.
Melopepon. Ficus aridæ. Pistatia. Amygdala.
Mel. Raphanus. Serum lactis. Vinum tenue.
Vinum lymphatum.

CRVDOS HVMORES GIGNVNT.

Cruda. Dactyli uirides. Rapæ. Napi radix.
Vuluæ quadrupedum. Ventres. Interiora. Oxigala. Bulbi cocti cum aceto mansi. Panes hordeacei.

TENACEM SVCCVM GIGNVNT.

Casei graues & densi. Siligo. Tenontes. Neruosa. Partes labiales. Lingua. Suilla caro. Caro agnina. Dactyli.

MEDIA INTER TENVANTIA ET CRASSANTIA.

Carnes gallinarum, Phasianorum, Carnes Caponum, Perdicum, Columbarum, Turdorum, Passerum, Merularum. Ficus. Pisces saxatiles. Vinum subflauum.

CRASSVM SVCCVM GENERANTIA.

Panis siligneus male coctus. Panis frumentaceus sine fermento. Quicquid ex farina conficitur. Leguminum fere cuncta. Pisces cetosi. Cochleae. Amylum. Carnes ceruinae. Carnes caprinae. Carnes Bubulinae. Renes. Iecur. Testiculi. Lac coctum. Casei omnes. Oxygala. Oua frixa indurata. Dactyli. Castaneae. Rapae. Napi. Bulbosa omnia. Ficus non maturae. Cucumeres. Poma immatura. Passum uinum dulce.

REDVNDANTIA.

Anseres. Pisces coenosi. Pisces staguales, & fere omnes. Medulla dorsi. Cerebrum. Viscera omnia. Palumbes. Aues in paludibus & stagnis. Omnia animalia infantia. Fabae uirides. Cicer.

FACILE CORRVMPVNTVR.

Persica. Omnia praecocia.

Cuncti horni fructus. Omnia humida et mali succi. Et omnia ante cibum sumenda, ut citius permeent, ne putredine sua etiam alios humores, & cibos corrumpant, si ab alijs cibis sumantur.

CALEFACIVNT EX CIBIS.

Frumenta tosta. Dactyli dulces. Poma mediocriter dulcia. Vuae dulces. Vuae passae dulces. Eruca. Raphanus. Rapa. Napus. Sinapi. Pyrethrum. Allium. Caepae. Porrum. Vinum dulce. Caseus antiquus. Et quae cum alimentis miscentur, ut Piper, Zinziber, Nux moschata, Macis, Crocum, Chariophili, Cinamomum, Cyminum, Mel.

REFRIGERANTIA.

Hordea. Pepones. Cucumeres. Cucurbitae. Citrulli. Sicomora. Vuae austerae & acidae. Pyra Poma acerba. Cerasa acria. Mala granata. Lactuca. Cichorium. Portulaca. Papaueris semen. Aqua. Acetum. Vinum lymphatum.

AREFACIVNT.

Lens. Brassica. Orobi bis cocti. Milium.

HVMECTANT.

Ptisana. Pepones. Cumeres. Cucurbita. Citrulli. Lactuca. Beta. Nuces uirides Cicer uiride. Aqua calida humectat & calefacit. Aqua frigida humectat & frigefacit. Vtraque tamen corpori admota neruos offendit.

INDV

INDVRANTIA OPPILATIONES INTERANEORVM.

Lac quod parum habet serum, multum uero casea ceum.

Dulcia cuncta. Melicratum.

Dactyli pingues & crudi.

Cuncta quæ ex siligine comparantur.

Vina dulcia.

TARDI TRANSITVS SVNT.

Siliginea cuncta. Panis non purus.

Cerebra. Corda. Iecora.

Medulla dorsi. Frumentum coctum.

Lupini. Fabæ. Pisa. Lentes excortiatæ.

Pyra. Poma. Siliquæ. Oua tosta.

Vinum dulce præsertim austerum, atrum sine dulce dine, crassum, nouum.

QVAE EX EDVLIIS VENTREM MOVENT.

Lentis in prima decoctione ebulitio.

Braßica ex oleo & sale.

Pisaum ius cum sale. Blitum.

Ius ueteris galli. Ius caulium.

Iuuenes animalium carnes.

Turtur mediocriter cit aluum.

Panis cibarius qui multum habet furfurum.

Recens caseus cum melle.

Melones si ante alium cibum sumantur.
Ficus aridæ & uirides. Vuæ dulces & uirides.
Pruna humida & arida melle confecta.
Poma acerba. Cerasa dulcia. Vinum dulce.
Cuncta humida & aquosa.

QVAE EX EDVLIIS ALVVM COHIBENT.

Vuæ passæ acerbæ. Pyra syluestria.
Mala granata acetosa. Lens. Oriza.
Milium. Acetum. Hepata animalium.
Cotonea. Pruna syluestria. Acatia.
Agresta. Oua indurata ex aceto.
Vinum acerbum & rutilum.

CIBI SANGVINEI.

Omnis cibus boni succi.
Caro perdicum, phasiani, pullorum.
Amygdala dulcia. Oua. Lactuca.
Vinum dulce odoriferum.

CIBI CHOLERICI.

Porrum. Allium. Cæpæ. Sinapi.
Piper. Mella. Dulcia omnia. Vina dulcia.

CIBI PHLEGMATICI.

Poma. Pyra. Persica. Pruna.
Cerasa. Fructus fere omnes.
Iusculæ. Aqua. Lac. Oxygala.
Caseus recens. Omnia fere glutinosa.

Nimia saturitas. Quies nimia. Pisces omnes.
Alui & intestina quadrupedum. Omenta.
Animalium neruosæ partes. Melones.
Cucumeres. Citrulli. Cucurbitæ. Pelles.
Cerebrum. Pulmo. Spinæ medulla.
Agnina caro.

CIBI MELANCHOLICI.

Caro bubulina, Hircina, Taurina,
Caprina, Ceruina, Leporina, Vulpina,
Aprina, Asinina, Camelorum.
Omnes carnes ueteres & salitæ.
Legumina omnia. Lens. Brasiica.
Panis Furfuraceus. Panis ex milio.
Caseus uetus. Cibus coctu difficilis.
Salsa omnia. Pisces marini. Vina nigra, crassa.

PVTREDINEM CAVSANT.

Calida & humida. Flatus Austrini.
Cibi calidi & humidi.
Omnes fructus incocti, immaturi.

PVTREDINEM PROHIBENT.

Salsa omnia. Acetosa. Aceto permixta.
Muriæ. Cibi frigidi & sicci.
Omnia infrigidantia & siccantia.
Herbæ frigidæ & siccæ. Flatus Borealis.

CORPVSCVLVM MINVVNT.

Sicca. Arida. Frigida. Vigiliæ.

Labor Exercitium nimium. Curæ.
Tristidæ. Amor immodicus.
Lucubrationes immodicæ.
Perniciosissimum autem in omni uita, quod nimium est.

CORPVS IMPINGVANT.

Dulcia. Pinguia. Multum nutrientia.
Frictio mediocris. Somnus. Animus hilaris.

FINIS.

IMPRESSVM IN INCLYTA
TRANSYLVANIAE
CORONA.

ANNO. M. D. LI.



Totius liber/ 142. caetera folia
habet folia/.